DE BONIS IN FINE PHILEBI ENUMERATIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIX. M. JULII A. MDCCCLXVIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RUDOLFUS HIRZEL

LIPSIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

H. REIMER, STUD. PHIL.
A. SCHOELKOPF, CAND. JUR.
F. MENGE, DR. JUR. UTR.

LIPSIAE

TYPIS EXPRESSIT J. B. HIRSCHFELD.

SALOMONI HIRZEL

PATRI

HERMANNO SAUPPE

PRAECEPTORI

Bonorum enumerationem quae in fine Philebi proponitur difficillimam esse intellectu eandemque ad Platonis philosophiam cognoscendam summi momenti nisi jam dudum omnibus qui in illius libris explicandis studia posuerunt persuasum esset profecto non tot et tam diversae de ea sententiae exstitissent, ut sponte in mentem veniat Terentianum illud quot homines tot sententiae. Hac et aliis difficultatibus quibus sermo ille refertus est Schaarschmidtius tantopere commovebatur, ut Philebum a Platone compositum esse negaret. Quod quin ille temere conjecerit non potest dubitari, cum sive Plato sive alius quis dialogi auctor habendus est eum certam aliquam sententiam habuisse necesse sit. Itaque haec prius eruenda erit, quam de auctore cui opus attribuendum sit quaeramus. Neque illam explicaturus ignoro me aggredi periculosae plenum opus aleae, siquidem in tanta sententiarum obscuritate ne praestantissimis quidem viris contigit, ut certi quicquam quod omnibus probaretur invenirent. Saepius autem evenit, ut si quis casu in aliam atque ceteri partem delatus est unde rem obscuram considerarct subito permulta melius intellegeret, quam qui a diversa parte majore acumine et doctrina accesserunt. Qua re simul excusatur quod in hac disputatione ceterorum qui de eadem re scripserunt numquam fere rationem habebo: a principiis enim plane diversis illi profecti sunt. Neque ullam sententiam nisi suis argumentis et causis nititur probabiliorem inde fieri puto, quod aliorum sententiis adversatur.

Accedamus igitur ad locum quem libri exhibent sic scriptum:

ΣΩ. Πάντῃ δὴ φήσεις, ὦ Πρώταρχε, ὑπό τε ἀγγέλων πέμπων καὶ παροῦσι φράζων, ὡς ἡδονὴ κτῆμα οὐκ ἔστι πρῶτον

οὐδ᾽ αὖ δεύτερον, ἀλλὰ πρῶτον μέν πῃ περὶ μέτρον καὶ τὸ μέτριον καὶ καίριον καὶ πάνθ᾽ ὁπόσα χρὴ τοιαῦτα νομίζειν τὴν ἀΐδιον ᾑρῆσθαι φύσιν.

Quae etsi quanta difficultate laborent non satis convenit, aliqua tamen laborare nemo negabit. Et primum quidem cum statim ab initio omnia clara ac perspicua sint haeremus in praepositione *περὶ*, quia exspectabamus, ut voluptas dicta est non esse primum bonum, ita id ipsum jam simpliciter nominatum iri casu nominativo. Sed tamen, id quod jure miramur, quasi ad parandam lectoribus difficultatem addidit auctor praepositionem. Cui difficultati altera accedit propter infinitivum perfecti medii *ᾑρῆσθαι* quem etsi per se nihil offensionis habere constat. (cf. Rep. 514, 13: *ἐπειδὴ δ᾽ οὖν πάσας τὰς ψυχὰς τοὺς βίους ᾑρῆσθαι, ὥς περ ἔλαχον, ἐν τάξει προσιέναι πρὸς τὴν Λάχεσιν·* —) tamen num ad *μέτρον* ejusque similia referri possit valde dubito. Animi enim recte dicuntur ut illo reipublicae loco ipsi aliquid sibi elegisse, numquam vero rebus inanimantibus ullius rei optio datur. Quae quamquam summam dubitationem movent de loci sententia, tamen augentur et cumulantur quod non intellegimus quae ratio intercedat inter mensuram ac similia ejus et aeternam illam quae dicitur naturam. Nam praeterquam quod raro conjuncta *ἀΐδιος* et *φύσις* omnino reperiuntur, nusquam ut existimandum erat in Philebo conjunctionis eorum exemplum exstat, nedum mensurae vel ceteris id genus umquam aeterna natura a Philebi auctore tribuatur. Itaque ut in tanta sententiae obscuritate nihil relinquitur nisi ut ab eis quae certa tamen nec ab ullo homine addubitata restant profecti conemur ceteris quoque lucem affundere. Iam vero licet de ceteris ambigatur omnibus, unusquisque tamen sibi persuasum habebit, a Philebi auctore modo et quae ejus generis sunt aliqua ratione tribui aeternam naturam. Qualis autem haec ratio sit adhuc videtur quaerendum esse, quia nondum de ea quicquam inter Philebi interpretes convenit. Itaque quoniam verbis de aeterna natura ejusque quae cum mensura intercedit ratione ex alio Philebi loco nihil docemur, probos philologos ne infinitis erroribus implicentur decet non ex ficta de universa Platonis philosophia opinione necessitate aliqua ut videtur concludere quae sola huic loco sententia apta sit, sed in verba singula

inquirentes quam ex Philebi et omnino Platonis usu sententiam patiantur accurate definire. Et in hac quoque re summa opus est cautione ne Philebo celerius relicto auxilium omne ab aliis dialogis petamus et ita ut par est propter diversam eorum pro scriptoris aetate naturam aliena in hunc locum transferamus.

Iam igitur si explicare volumus quid modo cum aeterna natura commune sit, cum nullo alio loco clarum de ea re testimonium exstet conjecturis nostris sane necesse est huic loco opitulemur. Quae ut firmo fundamento nitantur ante omnia exponendum est quid tandem *μέτρον* et cetera quae hic leguntur vocabula in aliis Philebi partibus significent. Nam tum demum ubi quo sensu Philebi auctor *μέτρον* et quae ei adjungit accipere soleat intellectum erit, fieri poterit ut quemadmodum eis aeterna natura jure ascribatur probabiliter conjiciamus. Enumeraturis autem singulos locos ubi voces illae reperiuntur optimum erit et simplicissimum ipsius libri ordinem et cursum sequi. Itaque primum locum tenet p. 17 D ubi haec leguntur: *ἔν τε ταῖς κινήσεσιν αὖ τοῦ σώματος ἕτερα τοιαῦτα ἐνόντα πάθη γιγνόμενα, ἃ δὴ δι' ἀριθμῶν μετρηθέντα δεῖν αὖ φασὶ ῥυθμοὺς καὶ μέτρα ἐπονομάζειν.* In quibus quid significent *μέτρα* expressis verbis declaratum invenimus, cum eo nomine appellari dicuntur quicumque corporis vel affectus vel motus (*πάθη*) numeris comprehendi possunt. Deinde sequitur p. 25. B: *μετὰ δὲ τὸ ἴσον τὸ διπλάσιον καὶ πᾶν ὅ τί περ ἂν πρὸς ἀριθμὸν ἀριθμὸς ἢ μέτρον ᾖ πρὸς μέτρον.* De quorum sententia quam nondum penitus intellectam puto cum infra accuratius expositurus sim, hic satis erit significasse *μέτρον πρὸς μέτρον* vocari omnes mensuras quaecumque inter se commensurabiles sunt. Atque id quod nunc statim addo cum *ἀριθμὸς πρὸς ἀριθμὸν* et *μέτρον πρὸς μέτρον* inter se opposita sint, illo denotari numeros qui quidem commensurabiles sunt, hoc lineas et cetera quae numeri appellari possunt ad motum ejusque naturam translati. Et hic quidem *μέτρον* refertur ad *πέρας*, paulo post tamen p. 26. D. ab eo distinguendum esse satis apparet. Nam postquam in superioribus duo omnium quae sunt genera allata sunt primum *ἄπειρον* deinde *πέρας*, tertium eis additur his verbis: *ἀλλὰ τρίτον φάθι με λέγειν, ἓν τοῦτο τιθέντα τὸ τούτων ἔκγονον ἅπαν, γένεσιν εἰς*

οὐσίαν ἐκ τῶν μετὰ τοῦ πέρατος ἀπειργασμένων μέτρων. Quae si cum proxime antecedentibus comparaveris, cognosces eo discrimine inter se utrumque differre quod *πέρας* ubi infinito sive *ἀπείρῳ* admiscetur *μέτρον* sive mensuram gignit et ita recte ejus causa habetur. Quod igitur hic *μέτρον* significare dicitur etsi pugnat cum illo loco quo *μέτρον* ad *πέρας* pertinere declaratur tamen congruit cum primo qui *μέτρον* ad ea rettulit quae metiri possumus. Quam quaestionem quia ipsis Philebi verbis dissolvere non possumus nunc relinquamus praesertim cum alii supersint loci in quibus *μέτρον* nominatur. Quorum primum legimus p. 56 A: *Οὐκοῦν μεστὴ μέν που μουσικὴ πρῶτον, τὸ ξύμφωνον ἁρμόττουσα οὐ μέτρῳ ἀλλὰ μελέτης στοχασμῷ· καὶ ξύμπασα αὐτῆς αὐλητική, τὸ μέτρον ἑκάστης χορδῆς τῷ στοχάζεσθαι φερομένης θηρεύουσα, ὥστε πολὺ μεμιγμένον ἔχειν τὸ μὴ σαφές, σμικρὸν δὲ τὸ βέβαιον*).*

Iam quis non videt prius illud *μέτρον* mensuram esse, qua aliquid metimur idque propterea opponi *μελέτης στοχασμῷ* id est conjectandi modo qualem exercitatio et consuetudo progignunt, quod Philebi auctori ut in omnium rerum natura constituenda numeri ac mensurae plurimum valere existimantur, ita omnis disciplina et ars in numeris illis et mensuris quae rebus insunt numerandis et metiendis consistere videbatur idque aliter fieri non posse quam aliis quibusdam mensuris extrinsecus ad res adhibitis.

---

*) Quem locum exscripsi ita ut in codicibus traditur quamquam bene scio valde eum corruptum esse. Neque tamen etsi speciosum est Heusdii inventum restituentis *καὶ ξύμπασα αὖ πληκτική* ullam ei necessitatem attribuerim quia jam Stallbaumius in prima Philebi editione recte animadvertit quot recepta illa conjectura difficultates restent. Quare et ipse conjecturas protulit et Badhamius quem miror quod levius vitium dum *αὐτὴ καὶ* pro *αὐτῆς* proponit conjectura emendare studet, gravius vero quod Heusdius sanasse videtur intactum reliquit ita ut ne verbum quidem de eo faceret. Ceterum quod addit *φθεγγομένης* pro *φερομένης* ponendum esse, id recte eum judicasse puto cum sane chordae mensura non in universum dum movetur sed tantummodo dum sonum mittit examinari possit. Accedit denique quod vix puto etiamsi chordae motum exprimere voluisset Platonem usurum fuisse verbo *φέρεσθαι* sed eo quod huic motui designando unice aptum est *κινεῖσθαι.* Ut statim dicam quod sentio puto scribendum esse *καὶ ξύμπασα καί αὐτῆς ἡ πληκτική.* —

Sed simulatque hanc mensurae notionem agnovimus, statim in ejusdem paginae linea altera idem vocabulum redit nova significatione praeditum. Nam cui in mentem veniet chordae mensuram quae dicitur esse mensuram qua musici chordas metiuntur neque eam quae in ipsa chorda inest? ac sane videtur Plato vel quicunque Philebum composuit (quod ideo saepius repeto perinde esse ut in eis quae disputo Schaarschmidtium quoque ejusque sectatores assentientes habeam, quippe qui nihil mihi concessuri sint quod sibi tamquam verum sumpserit Philebum genuinum ipsius Platonis opus esse) delectatus esse verborum notionibus variandis, cum p. 56. B. idem *μέτρον* tertium protulerit neque eam notionem jam retinuerit qua proxime usus est sed primam illam repetierit. Id quod praeter omnem dubitationem verum esse ipsa verba demonstrant *τεκτονικὴν δέ γε, οἶμαι, πλείστοις μέτροις τε καὶ ὀργάνοις χρωμένην, τὰ πολλὴν ἀκρίβειαν αὐτῇ πορίζοντα τεχνικωτέραν τῶν πολλῶν ἐπιστημῶν παρέχεται.* Ut igitur paucis quae adhuc disputavimus comprehendamus duo jam vidimus in Philebo esse genera mensurae quorum unum eis constat quas ceteris rebus mensuras adhibemus. Alterum vero cum in universum contineat quaecumque mensuras capiunt in duas iterum partes discedit quoniam aut ipsa res in qua *μέτρον* apparet *μέτρον* vocatur aut illud propter quod aliquid *μέτρον* habere dicitur. Atque *μέτρον* ut illa significatione longissime remotum esse vidimus a finis sive *πέρατος* notione, ita hac et per se intellegitur et ab ipso auctore declaratur proxime ad finis genus accedere. Et hujus quidem generis cum supra unum tantum exemplum attulerim nunc duo praeterea addam quae in fine jam dialogi reperiuntur. Prius legitur 232, 12 p. 57. D: *τούτων δ' αὐτῶν αἱ περὶ τὴν τῶν ὄντως φιλοσοφούντων ὁρμὴν ἀμήχανον ἀκριβείᾳ τε καὶ ἀληθείᾳ περὶ μέτρα τε καὶ ἀριθμοὺς διαφέρουσιν.* Quae forma ab illa de qua supra sermo fuit eo discrimine distat quod haec continet omnes omnino mensuras, illa vero a ceteris separavit eas quae inter se commensurabiles sunt. His tertium accedit *μέτρον* quod 247, 11 p. 64. D sic affertur: *μέτρου καὶ τῆς ξυμμέτρου φύσεως μὴ τυχοῦσα ἡτισοῦν καὶ ὁπωσοῦν ξύγκρασις πᾶσα ἐξ ἀνάγκης ἀπόλλυσι τά τε κεραννύμενα καὶ πρώτην ἑαυτήν.* Nimirum notionis quae his significatur ambitum totum neutra implet: neque enim

harmoniam et omnium partium perfectam congruentiam inde tantum existere credibile est quod singulae cum singulis commensurabiles sunt sed aliud accedere debere quod cumulum rei imponat. Id vero quia ex conjectura potius posui et ab hoc loco alienum duco uberius ostendere, in incerto relinquendum est, cum certissime tamen constet cum illo mensurae genere quod omnes omnino mensuras complectitur nullo modo *μέτρον* quod hic vocatur confundendum esse. Sed ut mittam hanc postremam unius generis distributionem, pro certo affirmare possum duo quae diversa inter se sunt in Philebo uno eodemque nomine designari, etsi ne verbo quidem significatur quomodo duo illa in unum coëant. Ita initio disputationis postquam profecti sumus *μέτρον* per Philebi ambages indagaturi, pro uno quod quaesivimus duobus saltem vel tribus onerati revertimur.

Neque vero idcirco desperandum est, sed experiendum potius an *μέτριον* ex Philebi vestigiis definituri meliore fortuna utamur. Et feliciter sane cecidit quod tribus tantum locis *μέτριον* in Philebo occurrit. Quorum primus legitur p. 24 C.: *ὃ γὰρ ἐλέχθη νῦν δή, μὴ ἀφανίσαντε τὸ ποσόν, ἀλλ' ἐάσαντε αὐτό τε καὶ τὸ μέτριον ἐν τῇ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον καὶ σφόδρα καὶ ἠρέμα ἕδρᾳ ἐγγενέσθαι, αὐτὰ ἔῤῥει ταῦτα ἐκ τῆς αὐτῶν χώρας ἐν ᾗ ἐνῆν.* In his quid *μέτριον* sibi velit dubitari plane nequit, cum duplici modo probari possit. Primum enim ex contrario quod est infinitum, deinde ex simili quocum conjungitur facillime concluditur *μέτριον* esse id quod certo quodam termino finiatur. Quae definitio videri possit non quadrare in alterum locum qui p. 43 C. sic legitur. *Ὡς αἱ μὲν μεγάλαι μεταβολαὶ λύπας τε καὶ ἡδονὰς ποιοῦσιν ἡμῖν, αἱ δ' αὖ μέτριαί τε καὶ σμικραὶ τὸ παράπαν οὐδέτερα τούτων.* Nam eadem via si progredimur et ex contrario quod est magnum et ex simili quod parvum dicitur esse conjecturam facimus, in aliam incidisse videmur notionem quae non tam a priore diversa quam arctior est ac minus late patet. Eodem plane modo infiniti nomen vulgari loquendi usu tribuitur eis quae magnitudine excellunt, quamquam probe intellectum non minus ultra minima quam ultra maxima extenditur. Id quod propterea factum esse existimo quod oculi facilius in magno quam in parvo ac minuto infiniti aliquid cernunt. Iam vero quoniam oculi tum

maxime finem alicui rei impositum cernunt ubi ea quominus amplius augeatur et major fiat prohibetur, hoc loco id quod *μέτριον* sive finitum est magno opponitur et cum parvo confunditur. Atque hoc modo si *μέτριον* hic interpretamur, tantum abest ut alia inde notio erui possit ut priorem illam Platonis menti obversatam esse etiam magis comprobetur. Quibus locis tertius accedit p. 32 A: *καὶ ἑνί λόγῳ σκόπει εἴ σοι μέτριος ὁ λόγος, ὃς ἂν φῇ κ. τ. λ.* In his *μέτριον* nihil aliud esse quam quod Latini dicunt aptum et alicui rei sufficiens sponte apparet. Quibus exemplis adjiciamus ea quae de vocabulo *ἔμμετρος* extant quod et forma et notione *μέτριον* proxime contingit. Praejudicata vero opinio statim exemplo confirmatur p. 52 C. *προσθῶμεν τῷ λόγῳ ταῖς μὲν σφοδραῖς ἡδοναῖς ἀμετρίαν, ταῖς δὲ μὴ τοὐναντίον ἐμμετρίαν· καὶ τὸ μέγα καὶ τὸ σφοδρὸν αὖ, καὶ πολλάκις καὶ ὀλιγάκις γιγνομένας τοιαύτας, τῆς τοῦ ἀπείρου τε ἐκείνου καὶ ἧττον καὶ μᾶλλον διά τε σώματος καὶ ψυχῆς φερομένου προσθῶμεν αὐταῖς εἶναι γενεᾶς, ταῖς δὲ τῶν ἐμμέτρων.**)

Quocum conjungatur oportet p. 65 D: *Εὔσκεπτόν γε καὶ ταύτην σκέψιν προβέβληκας· οἶμαι γὰρ ἡδονῆς μὲν καὶ περιχαρείας οὐδὲν τῶν ὄντων πεφυκὸς ἀμετρότερον εὑρεῖν ἄν τινα, νοῦ δὲ καὶ ἐπιστήμης ἐμμετρότερον οὐδ' ἂν ἕν ποτε.* Quamvis igitur tanta sit utriusque vocabuli similitudo ut explicatione non egeat, tamen exiguum aliquod discrimen animadvertere licet: utroque enim loco quo in Philebo *ἔμμετρος* et *ἄμετρος* reperiuntur inter se contraria dicuntur itemque altero loco opponuntur sibi *ἐμμετρία* et *ἀμετρία*. Contra *μέτριον* ut pro similitudine exspectandum erat non opponitur ei quod *ἄμετρον* est sed infinito sive *ἀπείρῳ*. Attamen cavendum est ne argutias captemus cum p. 26 A. *τὸ ἔμμετρον καὶ ἅμα σύμμετρον* et *τὸ πολὺ λίαν καὶ ἄπειρον* inter se opponantur. Praeterea cf. Legg. IV. p. 716 C. Rep. VI. p. 486 D.

Possit jam aliquis quoniam ad *ἔμμετρον* definiendum me digressum vidit ad totam de mensurae genere disputationem absolvendam postulare ut eodem modo *μετριότης* quid sit exemplis

---

*) Vere enim pro *γένους* quod in codicibus est *γενεᾶς* restituit Badhamius quia aliter *τῆς* articulus non haberet quo referatur.

Philebi collectis definiam. Cui respondebo *μετριότης* quid sit ex tribus quae exstant exemplis p. 64 E, p. 65 B. D. intellegi non posse, exspectandum igitur esse dum quid *μέτριον* sit penitus perspexerimus: *μετριότης* enim quid aliud dicitur quam is alicujus rei status qui *μέτριος* est?

Nunc vero aliquando in memoriam revocandum est unde haec longa de minutis rebus disputatio initium ceperit ut hoc modo legentibus excusetur. Quoniam igitur obscurum fuit quo jure eis quae *μέτρον μέτριον καίριον* appellantur ascriberetur a Platone *ἀΐδιος φύσις* idque illustratum iri cognitum si singulae illorum notiones quales in Philebo fingendae sunt enucleatae fuerint, *μέτρον* et *μέτριον* quantum in tanta locorum paucitate fieri potuit in ipsius Philebi vestigiis haerens persecutus sum. Itaque restaret ut jam idem in vocabulo *καίριον* facerem, nisi hic Philebus me plane destitueret cum nullum exemplum praebeat neque hujus neque ejus quod affine est *καιρός*. Quare absoluta quae instituenda erat quaestione quid ad locum de quo tractamus interpretandum profecerimus videndum est. Et confiteor exiguum esse fructum quem cepimus propterea quod eruere non potui qua nota communi genus universum ad quod *μέτρον* pertinet a Platone insignitum sit. Nam quamquam *μέτρον* quatenus finiti aliquid denotat plane idem est atque *μέτριον*, ex altera tamen parte ab eodem verbo longissime distat. Iam vero si nobis ipsi constare volumus non debemus statim ceteros qui Platonis nomine feruntur dialogos perscrutari quid ad illius generis notionem enucleandam conferant, sed ante omnia in ipso Philebo nitentes alia via ingredi. Et quaenam ea sit ab illo loco proxima percurrentibus dubium esse nequit quoniam in his ut secundo loco posita a prioribus discernuntur *σύμμετρον καλόν τέλεον ἱκανόν*. Nam quo magis haec verba similem prioribus notionem continere videntur, eo pluris interesse intellegitur ad subtilem prioris generis definitionem ut in similitudine discrimen quod adest dispiciamus. Priusquam autem utrumque notionum genus comparamus necesse est de posterioris notione quae ei in Philebo tribuitur paulo diligentius disserere. Itaque singula verba quid significent quaerendum est, ut a singulis ad generis definitionem ascendamus. Ac primum quidem nobis explicandum est quid sit *σύμμετρον*. Cujus

duas reperiri significationes facile exemplis probatur: primum enim *σύμμετρον* id dicitur quod cum alia re congruum est cf. p. 25 E. *Τὴν τοῦ ἴσου καὶ διπλασίου, καὶ ὁπόση παύει πρὸς ἄλληλα τἀναντία διαφόρως ἔχοντα, σύμμετρα δὲ καὶ σύμφωνα ἐνθεῖσα ἀριθμὸν ἀπεργάζεται.* Neque puto idem vocabulum aliter accipiendum esse p. 26 A. *Καὶ μὴν ἔν γε χειμῶσι καὶ πνίγεσιν ἐγγενόμενα τὸ μὲν πολὺ λίαν καὶ ἄπειρον ἀφείλετο, τὸ δὲ ἔμμετρον καὶ ἅμα σύμμετρον ἀπειργάσατο.* Id quod ex exemplis quae afferuntur apparet quoniam frigus et calor haud dubie cogitantur inter se accommodari et congrua fieri. Simul occasione data ne praeterierim *σύμμετρον* addito *ἅμα* videri distinctum esse ab *ἔμμετρον.* Id quod conjectura supplere ita possumus ut statuamus *ἔμμετρόν* esse id cui finis impositus est, *σύμμετρον* vero cujus finis simnl alterius finis est. Unde intellegitur non sine vi esse utramque praepositionem et *ἐν* et *συν* cum illa rem in se conclusam haec pertinentem ad alteram denotet. A qua hujus adjectivi notione nemo negabit diversam esse eam quae in postrema dialogi parte occurrit tribus locis p. 64 D: *Ὅτι μέτρου καὶ τῆς συμμέτρου φύσεως μὴ τυχοῦσα ἡτισοῦν καὶ ὁπωσοῦν σύγκρασις πᾶσα ἐξ ἀνάγκης ἀπόλλυσι τά τε κεραννύμενα καὶ πρώτην αὑτήν.* P. 64 E. *Νῦν δὴ καταπέφευγεν ἡμῖν ἡ τοῦ ἀγαθοῦ δύναμις εἰς τὴν τοῦ καλοῦ φύσιν· μετριότης γὰρ καὶ συμμετρία κάλλος δήπου καὶ ἀρετὴ πανταχοῦ ξυμβαίνει γίγνεσθαι.* P. 65 A. *Οὐκοῦν εἰ μὴ μιᾷ δυνάμεθα ἰδέᾳ τὸ ἀγαθὸν θηρεῦσαι, σὺν τρισὶ λαβόντες, κάλλει καὶ ξυμμετρίᾳ καὶ ἀληθείᾳ, λέγωμεν ὡς τοῦτο οἷον ἓν ὀρθότατ' ἂν αἰτιασαίμεθ' ἂν τῶν ἐν τῇ συμμίξει, καὶ διὰ τοῦτο ὡς ἀγαθὸν ὂν τοιαύτην αὐτὴν γεγονέναι.* Nam illa disputatione non id agitur ut summum bonum appareat id esse quod aliis rebus aptissimum sit, sed quod nulla ceterarum rerum ratione habita in se perfectum extat. Quod perfectum non esset nisi singulae ejus partes inter se congruerent. Itaque *σύμμετρον* quod hoc loco vocatur a priori illo ita differt ut illud cum aliis rebus, hoc secum conveniat.

Iam ad vocabulum *καλὸν* si transimus in ejus notione eruenda proficisci debemus ab ea definitione quam ipse auctor p. 64 E. sic proponit: *Νῦν δὴ καταπέφευγεν ἡμῖν ἡ τοῦ ἀγαθοῦ δύναμις εἰς τὴν τοῦ καλοῦ φύσιν· μετριότης γὰρ καὶ συμμετρία κάλλος*

δήπου καὶ ἀρετὴ πανταχοῦ ξυμβαίνει γίγνεσθαι. Quibus verbis, siquidem diversa significant *μετριότης* et *συμμετρία*, duplex pulchrorum genus indicatur alterum quod ea quae *μέτρια* alterum quod ea quae *σύμμετρα* sunt consequitur. Quod cum ex his solis verbis alicui videatur concludi non posse confirmatur eis quae leguntur p. 51 C. *σχημάτων τε γὰρ κάλλος οὐχ ὅπερ ἂν ὑπολάβοιεν οἱ πολλοὶ πειρῶμαι νῦν λέγειν, ἢ ζώων ἤ τινων ζωγραφημάτων, ἀλλ' εὐθύ τι λέγω, φησὶν ὁ λόγος, καὶ περιφερὲς καὶ ἀπὸ τούτων δὴ τά τε τοῖς τόρνοις γιγνόμενα ἐπίπεδά τε καὶ στερεὰ καὶ τὰ τοῖς κανόσι καὶ γωνίαις, εἴ μου μανθάνεις.* Nam in exemplis quae hic afferuntur pulchritudo ea est quae vel moderationem vel congruentiam sequitur: duplex enim significatur genus figurarum mathematicarum quae aut rectae aut orbicae sunt. Item voluptates quae verae eaedemque moderatae sunt pulchrae vocantur cf. p. 53 C: *ὡς ἄρα καὶ ξύμπασα ἡδονὴ σμικρὰ μεγάλης καὶ ὀλίγη πολλῆς, καθαρὰ λύπης, ἡδίων καὶ ἀληθεστέρα καὶ καλλίων γίγνοιτ' ἄν.* Neque alia subest notio ubi omnino quae pura neque mixta sunt pulchra dicuntur esse cf. p. 53 B. *Σμικρὸν ἄρα καθαρὸν λευκὸν μεμιγμένου πολλοῦ λευκοῦ λευκότερον ἅμα καὶ κάλλιον καὶ ἀληθέστερον ἐὰν φῶμεν γίγνεσθαι παντάπασιν ἐροῦμεν ὀρθῶς.* Contra perfectus ille hominis status summa pulchritudine excellere dicitur cf. p. 63 E. p. 64 E. non quod moderatus est sed quod secum ipse congruit. Denique hae duae pulchri formae uno genere comprehenduntur eorum quae per se et semper pulchra sunt cf. p. 51 C: *ταῦτα γὰρ οὐκ εἶναι πρός τι καλὰ λέγω, καθάπερ ἄλλα, ἀλλ' ἀεὶ καλὰ καθ' αὑτὰ πεφυκέναι καί τινας ἡδονὰς οἰκείας ἔχειν, οὐδὲν ταῖς τῶν κνήσεων προσφερεῖς· καὶ χρώματα δὴ τοῦτον τὸν τύπον ἔχοντα καλὰ καὶ ἡδονάς, κ. τ. λ.* Distinguuntur enim vere pulchra quae etiamsi sola sentiuntur voluptate homines afficiunt ab eis pulchris quae quoniam hominum libidinibus expetuntur non jucunda sunt nisi cum dolore aliquo comparata. Veluti corpora eorumque imagines pulchrae nobis videntur esse quod amore et desiderio incensi ea contuemur. Quare haec non per se et sua natura pulchra sunt sed quod hominis alicujus desideriis satisfaciunt. Contra alia res est in puris rerum formis quales sunt mathematicae deinde in coloribus sonis odoribus scientiis. Quorum pulchritudinem et

jucunditatem non ex desideriis nostris quibus satisfaciunt sed ex ipsorum natura metimur. Unde fit quoniam diversa sunt hominum desideria ut de illis plerumque dissentiant aliusque ut exemplo utar alium hominem pulchrum existimet, de horum autem pulchritudine quippe quae non ad varia hominum desideria referatur omnes fere ac semper consentiant. Quod propterea addidi ut intellegatur cur illa non solum per se sed etiam semper pulchra esse dicantur. Aliter locum interpretatus est Stallbaumius. Qui formula illa *καθ' αὑτά* commotus pulchra quaedam excogitavit quae ad idearum naturam proprius accederent ideoque non in corpore sed in solo animo voluptates gignerent. Ita enim accipio quae sic expressit: Verum eas res omnes (sc. colores corpora voces studia figuras) philosophus non omnino ac simpliciter censet purae voluptatis causas continere, sed ita tantum ad eam valere si quae sint in iis simplicia constantia et aequabilia ideoque a rerum varietate ac vicissitudine libera mente et animo concipiantur conceptaque tacita mentis contemplatione considerentur. Eandem sententiam paulo post his verbis indicat: itaque purae voluptates percipi et hauriri tum judicantur cum primarias simplices et constantes formas figurarum colorum sonorum odorum mente et animo complectamur iisque considerandis atque intuendis moveamur jucunditatis sensu qui nihil habeat cum vulgari illa corporis voluptate commercii. Atqui manifestum est quae ex figuris coloribus sonis odoribus oriuntur voluptates non ad animum sed ad sensus pertinere: ad animum enim eae tantum voluptates pertinent quae e scientiis percipiuntur. Id quod ipso auctoris testimonio confirmatur qui voluptates puras dividit in eas quae ipso animo e scientiis hauriuntur et in eas quae in sensuum perceptionibus insunt:*) neminem enim dubitare puto quin ea quae p.

*) Arrepta occasione annoto in tota hac de voluptatibus quaestione Platonem id maxime agere ut animi et corporis voluptates accurate inter se discernat. Quod is facere debet qui cupidinum naturam penitus perspicere vult. Cum vero id propositum sit ut voluptates quae bonae quae malae sint cognoscatur ante omnia necesse est ut cupidinum vis et natura exploretur. Quare nego vulgo recte intellegi quae leguntur p. 32 C: *ἐν γὰρ τούτοις οἶμαι, κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν, εἰλικρινέσι τε ἑκατέροις γιγνομένοις, ὡς δοκεῖ, καὶ ἀμίκτοις λύπης τε καὶ ἡδονῆς, ἐμφανὲς ἔσεσθαι τὸ*

66 C leguntur Badhamius vere sic restituerit: *Πέμπτας τοίνυν, ἃς ἡδονὰς ἔθεμεν ἀλύπους ὁρισάμενοι, καθαρὰς ἐπονομάσαντες τῆς ψυχῆς αὐτῆς, ἐπιστήμαις, τὰς δὲ αἰσθήσεσιν, ἑπομένας.* Quare Stallbaumii sententia quippe quae in falsa opinione nitatur rejicienda est. Sed utut locum difficillimum interpretamur constat pulchrorum genus hic significari quod ita appelletur propter voluptatem quam affert.

A qua pulchri significatione alia differt quae ex his exemplis elucet. p. 26 B. *ΣΩ. Οὐκοῦν ἐκ τούτων ὧραί τε καὶ ὅσα καλὰ πάντα ἡμῖν γέγονε, τῶν τε ἀπείρων καὶ τῶν πέρας ἐχόντων συμμιχθέντων; ΠΡΩ. Πῶς δ' οὔ; ΣΩ. Καὶ ἄλλα δὴ μυρία ἐπιλείπω λέγων, οἷον μεθ' ὑγιείας κάλλος καὶ ἰσχύν, καὶ ἐν ψυχαῖς αὖ πάμμολλα ἕτερα καὶ πάγκαλα.* P. 30 D: *Οὐκοῦν ἐν μὲν τῇ τοῦ Διὸς ἐρεῖς φύσει βασιλικὴν μὲν ψυχήν, βασιλικὸν δὲ νοῦν ἐγγίγνεσθαι διὰ τὴν τῆς αἰτίας δύναμιν, ἐν δὲ ἄλλοις ἄλλα καλά, καθ' ὃ φίλον ἑκάστοις λέγεσθαι.**)

περὶ τὴν ἡδονήν, πότερον ὅλον ἐστὶ τὸ γένος ἀσπαστόν κ. τ. λ. Quae enim hic dicuntur *ἐν τούτοις — ἑκατέροις* manifesto ad duo illa quae modo commemorata sunt doloris et voluptatis genera referuntur: alterum enim genus ponitur quod in ipso corpore inest alterum quod in sola mente. Neque Schleiermacherum cui Stallbaumius assentitur capio quod haec duo intellegit de duobus illis generibus eorum quae ab hominibus aut tristia aut laeta expectantur. Nam ne dicam quam difficile sit haec interpositis Protarchi verbis ad illa referre non puto ad voluptatis naturam cognoscendam magni interesse ut duo illa accurate inter se distinguantur. Atqui si de voluptatis et doloris generibus quorum alterum in solo animo alterum in corpore versatur verba illa ut debemus accipimus ista *λύπης τε καὶ ἡδονῆς* e quibus qui aliter locum interpretati sunt sensum aliquem extorquebant nullum omnino habent intellectum. Itaque aut totius loci interpretatio quae firmissimis argumentis defenditur mittenda est aut verba ista ejicienda sunt. Atque hoc sine dubio praeferent qui contulerint ea quae in superioribus sic leguntur: *Τοῦτο μὲν τοίνυν ἓν εἶδος τιθώμεθα λύπης τε καὶ ἡδονῆς ἐν τούτοις τοῖς πάθεσιν ἑκατέροις;* Qui enim ista *ἐν τούτοις-ἑκατέροις* eadem designare putarit atque illa *ἐν τούτοις τοῖς πάθεσιν ἑκατέροις* facile eo pervenire potuit ut quae his apposita videret illis quoque adderet.

*) Ad hunc locum paucis monendum est quanta ille difficultate laboret: nam postquam auctor antea dixit mentem et sapientiam omnia gubernare eandem tamen addit ab alia quadam vi superiore animam in qua habitaret

accepisse. Quae quin inter se pugnent non potest dubium esse: mens enim p. 30 C. tanquam suprema mundi causa et effectrix praedicatur eadem vero dicitur sine anima in corpore aliquo regnare non posse. Itaque si tamen hac mente superior quaedem causa statuitur idque recte fit sequitur suprema causa posse superiorem aliquam esse. Iam hoc loco comparatio fit inter divinam et humanam mentem cum utraque in suo corpore simile imperium exerceat. Quare fieri non potest quin illis ἐν δὲ ἄλλοις ἄλλα καλὰ moneamur eorum quae p. 30 B de humana mente dicuntur. Quae cum putetur ad causae genus pertinere duplex habere dicitur munus: primum enim corpori humano et animum praebet (ψυχήν τε παρέχον καὶ σωμασκίαν ἐμποιοῦν) et laboranti medetur (καὶ πταίσαντος σώματος ἰατρικὴν sc. ἐμποιοῦν) deinde vero etiam extra corpus ipsum in aliis rebus alia (καὶ ἐν ἄλλοις ἄλλα) et componit (συντιθὲν quod respondet illis ψυχήν τε παρέχον καὶ ἐμποιοῦν) et laesa restituit (καὶ ἀκούμενον quod respondet illis καὶ πταίσαντος σώματος ἰατρικήν). Itaque mens divina si humanae similis est vere existimatur et universo mundo animam vimque vitalem praebere et in aliis ac singulis bona alia efficere. Quod discrimen ut clarius significetur locus quem attuli non ita ut vulgo explicandus est. Verba enim illa διὰ τὴν τῆς αἰτίας δύναμιν non referenda sunt ad aliam quandam vim causalem sive mentem quae hunc mundum procreavit et mentem animamque ei tribuit sed de ea vi causali intellegenda quae in hujus mundi mente inest. Nimirum id ipsum quod mens sibi animam adsciscit per quam operetur propter ipsius vim causalem fit ut non opus sit ideirco deum procreatorem statuere qui mentem cum anima copulaverit. Aut igitur locus sic explicandus est aut verba illa διὰ τὴν τῆς αἰτίας δύναμιν inter ἄλλοις et ἄλλα ponenda sunt. Sed illa via potius ut facilior sequenda erit. Tum igitur mentis ejusdem vi fieri dicitur et ut anima sit in mundo et ut in singulis mundi partibus alia pulchra existant. Quae quoniam in simili re similiter dicta sunt, atque illa ἐν ἄλλοις ἄλλα συντιθὲν haud dubie etiam similem explicationem postulant. Atque ut illis universi corporis saluti opponuntur quae in ceteris ac singulis ad hominem pertinentibus pulchra et bona a mente efficiuntur ita hic mundi universi praestantia quae in animo illo regali cernitur distinguitur a partium quibus mundus constat singularum pulchritudine et bonitate. Non igitur illa ἐν ἄλλοις referenda sunt ad deos qui Iove inferiores habentur. Quod ut existimaret Stallbaumium commovebant quae sequuntur καθ' ὅ φίλον ἑκάστοις λέγεσθαι: nam cum haec dicendi ratio frequens sit in deorum nominibus usurpandis ex hac ipsa re Stallbaumius conclusit hic quoque deos significari. Cui ante omnia opponendum est etiamsi illa ἐν ἄλλοις de deis intellegantur tamen ἑκάστοις quod in sequentibus legitur non ad deos istos sed ad pulchra illa (ἄλλα κάλα) manifesto referri: non enim de eis quaeritur in quibus ista pulchra insunt sed qualia illa pulchra sint. Quae quia auctor non singulatim enumeraturus est addit nihil interesse quocunque nomine eis placeat appellari. Quae placendi notio etsi inusitato modo ab hominibus vel deis ad res

P. 59 C. *Τὰ δὴ τῶν ὀνομάτων περὶ τὰ τοιαῦτα κάλλιστα ἆρ᾽ οὐ τοῖς καλλίστοις δικαιότατον ἀπονέμειν;* p. 55 B: *Πῶς οὐκ ἄλογόν ἐστι μηδὲν ἀγαθὸν εἶναι μηδὲ καλὸν μήτε ἐν σώμασι μήτ᾽ ἐν πολλοῖς ἄλλοις πλὴν ἐν ψυχῇ.* p. 19 C: *καλὸν μὲν τὸ ξύμπαντα γιγνώσκειν τῷ σώφρονι, δεύτερος δ᾽ εἶναι πλοῦς δοκεῖ μὴ λανθάνειν αὑτόν.* In quibus pulchra appellantur quaecunque vel utilia vel omnino aliqua laude digna sunt. Duo igitur extant pulchri genera alterum quod moderata et secum congruentia consequitur alterum quod in universum praestantiam aliquam denotat.

Nunc vero cum duae reliquae sint notiones ad priorem definiendam aggrediamur. Atque quid sit *ἱκανόν* ipse Plato satis perspicue ostendit p. 60 C: *Ὧι παρείη τοῦτ᾽ ἀεὶ τῶν ζῴων διὰ τέλους πάντως καὶ πάντῃ, μηδενὸς ἑτέρου ποτὲ ἔτι προσδεῖσθαι, τὸ δὲ ἱκανὸν τελεώτατον ἔχειν.* Perfecte igitur sufficiens esse dicit illud quod nulla alia re egeat. Quae definitio optime quadrat in p. 20 D: *ΣΩ. Τί δέ; ἱκανὸν τἀγαθόν; ΠΡΩ. Πῶς γὰρ οὔ; καὶ πάντων γε εἰς τοῦτο διαφέρει τῶν ὄντων.* p. 67 A: *Καὶ μετά ταῦτά γε πάντων ἱκανώτατον τούτοιν οὐδέτερον ἱκανὸν ἐφάνη. κ. τ. λ.**)

---

transfertur tamen non absurde neque ita ut a scriptoris ingenio abhorreat qui p. 26 B *ὀρθὴν κοινωνίαν* quam antea vocaverat ausus est deam appellare. Postremo sive probabitur sive improbabitur mea explicandi ratio hoc unum pro certo affirmaverim ex hoc loco nihil colligi posse de mente aliqua divina quae ab ea mente quae in ipso mundo inest diversa universum hoc procreavit. Quod qui existimarunt Stallbaumius et Zellerus Hist. phil. II, 1 p. 454 An. 2 in hunc dialogum aliena transtulerunt ex Timaei p. 30 B. *διὰ δὴ τὸν λογισμὸν τόνδε νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δὲ ἐν σώματι ξυνιστὰς τὸ πᾶν ξυνετεκταίνετο, ὅπως ὅ τι κάλλιστον εἴη κατὰ φύσιν ἄριστόν τε ἔργον ἀπειργασμένος.* Quamquam horum quoque quae vera sit sententia ambigitur.

*) Conclusio supra cf. p. 20 B. sqq.: facta quae hic repetitur sic procedit: si quid et mente et voluptate melius quod sit inventum erit menti primae voluptati secundae partes deferentur. Iam postquam summum bonum dictum est id esse quod omnium maxime sufficiat, neque mens neque voluptas sufficere videbatur. Qua ratione certissime approbatum est summum bonum neque mentem neque voluptatem esse utpote quarum utraque sufficientis et perfecti vi destituta sit. Ei vero quod utraque melius est mens multo affinior esse inventa est quam voluptas. Quae conclusionis forma in verbis qualia traduntur nullo modo inest. In omnibus enim codicibus praeter

Sed praeter hos duo extant loci, in quibus videri possit alia significatio obtinere p. 22 B. *Πάνυ μὲν οὖν, ὅτι τρεῖς μὲν βίοι προὐτέθησαν, τοῖν δυοῖν δ' οὐδέτερος ἱκανὸς οὐδὲ αἱρετὸς οὔτ' ἀνθρώπων οὔτε ζῴων οὐδενί. ΣΩ. Μῶν οὖν οὐκ ἤδη τούτων γε πέρι δῆλον ὡς οὐδέτερος αὐτῶν εἶχε τἀγαθόν; ἦν γὰρ ἂν ἱκανὸς καὶ τέλεος καὶ πᾶσι φυτοῖς καὶ ζῴοις αἱρετός, οἷσπερ δυνατὸν ἦν οὕτως ἀεὶ διὰ βίου ζῆν.* p. 60 D: *Μῶν οὖν ἡμῖν αὐτῶν τότε πότερον ἱκανὸν ἔδοξεν εἶναί τῳ;* In his enim v. *ἱκανόν* non videtur significare quod sibi ipsum sufficiat sed quod aliis. Certe in hoc posteriore necesse est talem vocabuli notionem statuere. Nam in priore non necesse esse facile evincitur: in altera enim ejus parte nullo modo fieri potest ut *ἱκανὸς* cum dativis illis conjungatur quoniam ei vocabulo *τέλεος* a v. *ἱκανός* disjunguntur et collocatione sua ipsi ostendunt se ad solum adjectivum *αἱρετός* pertinere. Quare ne in priore quidem parte ubi collocatio verborum non obstat alia significatione illud accipere licet ita ut cum dativis istis construatur. Iam ad illum locum redeundum est qui solus cogere videtur ut *ἱκανόν* intelligamus id quod alii sufficit. Atque id ipsum quod solus et unus hanc notionem retinet miramur. Accedit quod locus ad quem ille refertur hanc significationem non habet cf. p. 20 C. Quae etsi per se fortasse minus valerent pondus tamen accipiunt quod ipsius loci non omnia plana et recta sunt. Offendimur enim quod dativus *τῳ* non solum duobus verbis a. v. *ἱκανός* disjungitur sed etiam uno eorum tali quod et ipsum cum dativo construatur. Quare idem melius auctor sic expressisset: *ἔδοξεν ἱκανόν εἶναί τῳ.* Atqui ita hoc verbum transponendum esse nemini probabo cum difficillima ratio emendandi sit quae per trajectionem verborum fit et facilior via a

---

unum Bodlejanum legitur *πάντων ἱκανώτατα τούτοιν οὐδέτερον ἱκανὸν ἔφανε.* Ille autem cum scriptum habeat *ἱκανώτατον* verae scripturae vestigium servavit. Quam ut probabiliter coniciamus efficit quod Bekkerus annotavit in codice Frecentiore manu scriptum esse *μετὰ ταῦτά γε εἰπὼν τἀγαθὸν πάντων* — et quod Ficinus locum sic vertit: „praeterea cum dixissem bonum ipsum esse omnium sufficientissimum neutrum ex eis tamen sufficiens esse constitit.“ Quibus ductus etsi certi nihil statuerim tamen sic fere verba scribenda esse suspicor: *καὶ μετὰ ταῦτά γε τἀγαθὸν εἰπόντι πάντων ἱκανώτατον τούτοιν οὐδέτερον ἱκανὸν ἔφαρη.*

Ficino interprete commonstretur qui hunc locum sic in latinum sermonem transtulit: „visumne tunc nobis ex his alterutrum sufficiens esse?“ Qui quod v. *τῳ* omisit, aut negligentia aut judicio in verum incidit: deleto enim isto *τῳ* omnia perspicua et plana sunt. Ita vero hos locos accuratius tractantibus eadem atque in ceteris vocabuli *ἱκανός* significatio apparuit ut jam ubicumque illud de summo bono praedicatur nihil denotare constet nisi id quod sibi sufficit. Nam unus quoque qui restat locus quamquam certi quicquam de eo affirmare non audeo tamen ab hac significatione non abhorrere videtur. Quem intellego p. 52 D. sic traditur: *Τί ποτε χρὴ φάναι πρὸς ἀλήθειαν εἶναι; τὸ καθαρόν τε καὶ εἰλικρινὲς ἢ τὸ σφόδρα τε καὶ τὸ πολὺ καὶ τὸ μέγα καὶ τὸ ἱκανόν;* Quibus exemplis quoniam videtur satis comprobatum esse quid *ἱκανόν* hoc loco significet omittere possum exempla veluti p. 19 E.: *πρὶν ἂν τούτων τῶν λόγων πέρας ἱκανὸν γένηταί τι δωρισθέντων.* Intelligitur enim tale *ἱκανόν* non esse quod sibi sed quod alii rei sufficiat.

Quid igitur v. *ἱκανόν* significet apparet neque minus manifesta est notio vocabuli *τέλεον.* Quod quattuor quibus reperitur locis id significat quod perfectum et consummatum est. p. 60 C. *Τὴν τἀγαθοῦ μοῖραν πότερον ἀνάγκη τέλεον ἢ μὴ τέλεον εἶναι; ΠΡΩ. Πάντων δή που τελεώτατον, ὦ Σώκρατες.* p. 22 B: *Μῶν οὖν οὐκ ἤδη τούτων γε πέρι δῆλον ὡς οὐδέτερος αὐτοῖν εἶχε τἀγαθόν; ἦν γὰρ ἂν ἱκανὸς καὶ τέλεος καὶ πᾶσι φυτοῖς καὶ ζῴοις αἱρετός, οἷς περ δυνατὸν ἦν οὕτως ἀεὶ δὶα βίου ζῆν.* p. 61 A: *Οὐκοῦν τό γε τέλεον καὶ πᾶσιν αἱρετὸν καὶ τὸ πατάπασιν ἀγαθὸν οὐδέτερον ἂν τούτων εἴη;* p. 67 A. *Οὐκοῦν πατάπασιν ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ καὶ νοῦς ἀπήλλακτο καὶ ἡδονὴ μή τοι τἀγαθόν γε αὐτὸ μηδ᾽ ἕτερον αὐτοῖν εἶναι στερομένοιν αὐταρκείας καὶ τῆς τοῦ ἱκανοῦ καὶ τελέου δυνάμεως;*

Iam vero postquam quid singula sibi velint v. *σύμμετρον καλὸν τέλεον ἱκανόν* cognitum est, quaeritur quo uno genere comprehendantur. Neque difficile est intellectu quam arte *σύμμετρον* et *καλὸν* itemque *τέλεον* et *ἱκανόν* inter se cohaereant: nam ut *σύμμετρον* eam alicujus rei naturam denotat quam in specie externa *καλόν* sequitur ita *τέλεον* indolem qua explicata *ἱκανόν* existit. Quae autem nota utrique vocabulorum pari communis sit

nondum liquet quoniam alterius notiones varias neque definitas invenimus. Itaque his notionibus uti non possumus ad *μέτρον μέτριον καίριον* definiendum: nam tum demum ex tali eorum comparatione fructus erit si de alterutro genere convenerit. Quoniam autem de neutro constat ad prius illud unde digressus sum alia via indagandum reverti debeo. Quod quia exemplis ex Philebo collectis definire non potui consentaneum est quaerere quid ceteri dialogi praebeant ad hanc quaestionem solvendam. Itaque ut a primo quod est *μέτρον* exordiar tria quae supra commemoravi ejus genera in caeteris Platonis libris iterum reperiuntur. Ita mensuram qua metimur significat Legg. XII p. 947 A: *ἀρχιερέα δὲ ἕνα κατ᾿ ἐνιαυτὸν τὸν πρῶτον κριθέντα τῶν γενομένων ἐκείνῳ τῷ ἐνιαυτῷ τῶν ἱερείων, καὶ τοὔνομα ἀναγράφειν τούτου κατ᾿ ἐνιαυτόν, ὅπως ἂν γίγνηται μέτρον ἀριθμοῦ τοῦ χρόνου, ἕως ἂν ἡ πόλις οἰκῆται.* Tim. p. 39 B: *ἵνα δε εἴη μέτρον ἐναργές τι πρὸς ἄλληλα βραδυτῆτι καὶ τάχει καὶ τὰ περὶ τὰς ὀκτὼ φορὰς πορεύοιτο, φῶς ὁ θεὸς ἀνῆψεν ἐν τῇ πρὸς γῆν δευτέρᾳ τῶν περιόδων, ὃ δὴ νῦν κεκλήκαμεν ἥλιον, ἵνα ὅτι μάλιστα εἰς ἅπαντα φαίνοι τὸν οὐρανὸν μετάσχοι τε ἀριθμοῦ τὰ ζῷα, ὅσοις ἦν προσῆκον, μαθόντα παρὰ τῆς ταὐτοῦ καὶ ὁμοίου περιφορᾶς.* Rep. p. 603 A: *Τὸ παρὰ τὰ μέτρα ἄρα δοξάζον τῆς ψυχῆς τῷ κατὰ τὰ μέτρα οὐκ ἂν εἴη ταὐτόν. Οὐ γὰρ οὖν. Ἀλλὰ μὴν τὸ μέτρῳ γε καὶ λογισμῷ πιστεῦον βέλτιστον ἂν εἴη τῆς ψυχῆς.* Legg. p. 716 C. *Τίς οὖν δὴ πρᾶξις φίλη καί ἀκόλουθος θεῷ; μία, καὶ ἕνα λόγον ἔχουσα ἀρχαῖον, ὅτι τῷ μὲν ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ὄντι μετρίῳ φίλον ἂν εἴη, τὰ δ᾿ ἄμετρα οὔτ᾿ ἀλλήλοις οὔτε τοῖς ἐμμέτροις· ὁ δὴ θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα, καὶ πολὺ μᾶλλον ἤ πού τις, ὥς φασιν, ἄνθρωπος· τὸν οὖν τῷ τοιούτῳ προσφιλῆ γενησόμενον εἰς δύναμιν ὅτι μάλιστα καὶ αὐτὸν τοιοῦτον ἀναγκαῖον γίγνεσθαι. καὶ κατὰ τοῦτον δὴ τὸν λόγον ὁ μὲν σώφρων ἡμῶν θεῷ φίλος, ὅμοιος γάρ, ὁ δὲ μὴ σώφρων ἀνόμοιός τε καὶ ἄδικος· καὶ τἆλλα οὕτω κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον ἔχει.* De quo loco Wehrmannum puto rectissime judicare qui dissertationis quam de summo bono scripsit p. 39. Anm. 4 „itaque sophistis, ait, in dicendo id unice agentibus ut hominum assensum auferant Plato jubet sapientem id studere ut deis grata et dicat et faciat". Alterius generis quod mensuras

continet quae in rebus conspiciuntur haec sunt exempla Polit. p. 284 A. *καὶ τούτῳ δὴ τῷ τρόπῳ τὸ μέτρον σώζουσαι πάντα ἀγαθὰ καὶ καλὰ ἀπεργάζονται.* Legg. VI p. 757 A: *τοῖς γὰρ ἀνίσοις τὰ ἴσα ἄνισα γίγνοιτ᾽ ἄν, εἰ μὴ τυγχάνοι τοῦ μέτρου.* Ibid. XI p. 918 D.: *πρότερον αἱρεῖται τοῦ πολλοῦ τὸ τοῦ μέτρου ἐχόμενον.* Ib. XII p. 957 A: *τὰ μὲν ἴδια δικαστήρια ταύτῃ πῃ γιγνόμενα μέτρον ἂν ἔχοι.* Ib. VIII p. 846 C.: *τότε δὲ ἀκίνητα ποιησάμενοι ζώντων τούτοις ἤδη χρώμενοι μέτρον ἔχουσι.* Ib. XII p. 959 A: *εἴη δ᾽ ἂν σχεδὸν ὡς τἀνθρώπινα μέτρον ἔχουσα τριταία πρὸς τὸ μνῆμα ἐκφορά.* Quibus locis duos addo in quorum explicatione erratum est: nam Legg. p. 836 A: *ταῦτ᾽ οὖν πρὸς μὲν τὰς ἄλλας ἐπιθυμίας, ὅσα γε ἀνθρώπινα, μέτρον ἔχει,* sic vertenda sunt: haec igitur ad ceteras voluptates quantum quidem per rerum humanarum statum licet sufficiunt. Quam interpretationem omnes probabunt qui attenderint ad ea quae supra leguntur: *καὶ πᾶσα ἡ παιδεία μετρίους πρὸς τὰ τοιαῦτ᾽ εἴληφε νόμους.* Falsus igitur est Wehrmannus qui dissertationis suae p. 49 An. 21 verba *μέτρον ἔχει* idem esse vult atque modum facit sive praebet. Neque recte fecisse arbitror Trendelenburgium quod libelli quem de Philebi consilio edidit p. 15 finis sive modi notionem in vocabulo *μέτρον* inesse ut ostenderet exemplum attulit Legg. III p. 692 A: *καὶ κατὰ δὴ τοῦτον τὸν λόγον ἡ βασιλεία παρ᾽ ὑμῖν ἐξ ὧν ἔδει σύμμικτος γεγομένη καὶ μέτρον ἔχουσα, σωθεῖσα αὐτὴ σωτηρίας τοῖς ἄλλοις γέγονεν αἰτία.* Nam quamquam *μέτρον ἔχουσα* eadem est atque quae modum habet tamen *μέτρον* ipsum non respondet modo sed mensurae Latinorum. Quare civitas *μέτρον ἔχουσα* proprie non est quae modum assecuta est sed quae mensuram suam explevit. — His exemplis, si addimus Legg. VIII p. 848 C: *τὸ δὲ πλέον τούτων μέτροις τε καὶ ἀριθμῷ τῇδε χρὴ διανέμεσθαι,* apparet discrimen quod inter hunc locum et illos intercedit: hic enim simpliciter mensurae intelliguntur, in illis mensurae quae justae sunt. Duae igitur formae in genere mensurarum quae in rebus conspiciuntur distinguendae sunt.

Alterum genus mensurarum complectitur ipsas res quae mensuram aliquam habent. Ita Rep. p. 621 A: *μέτρον μὲν οὖν τι τοῦ ὕδατος πᾶσιν ἀναγκαῖον εἶναι πιεῖν, τοὺς δὲ φρονήσει μὴ*

σωζομένους πλέον πίνειν τοῦ μέτρου. Legg. VIII p. 843 E: καὶ ἐὰν φυτεύων μὴ ἀπολείπῃ τὸ μέτρον τῶν τοῦ γείτονος χωρίων. Polit. p. 269 C: τὸ γὰρ πᾶν τόδε τοτὲ μὲν αὐτὸς ὁ θεὸς ξυμποδηγεῖ πορευόμενον καὶ συγκυκλεῖ, τοτὲ δ᾽ ἀνῆκεν, ὅταν αἱ περίοδοι τοῦ προςήκοντος αὐτῷ μέτρον εἰλήφωσιν ἤδη χρόνου. In his μέτρον nihil significat nisi rem quae mensuram aliquam habet; extant autem alii loci in quibus rem denotat cujus mensura justa est veluti Legg. V p. 744 E: μέτρον δὲ αὐτὸν θέμενος ὁ νομοθέτης διπλάσιον ἐάσει τούτου κτᾶσθαι καὶ τριπλάσιον καὶ μέχρι τετραπλασίου· πλείονα δ᾽ ἄν τις κτᾶται τούτων εὑρὼν ἢ δοθέντων ποθὲν ἢ χρηματισάμενος ἤ τινι τύχῃ τοιαύτῃ κτησάμενος ἄλλῃ τὰ περιγιγνόμενα τοῦ μέτρου. Tim. p. 68 B: λαμπρόν τε ἐρυθρῷ λευκῷ τε μιγνύμενον ξανθὸν γέγονε· τὸ δ᾽ ὅσον μέτρον ὅσοις, οὐδ᾽ εἴ τις εἰδείη, νοῦν ἔχει τὸ λέγειν, ὧν μή τέ τινα ἀνάγκην μήτε τὸν εἰκότα λόγον καὶ μετρίως ἄν τις εἰπεῖν εἴη δυνατός. Neque alia est hujus vocabuli significatio in Rep. VI p. 504 C: μέτρον τῶν τοιούτων ἀπολεῖπον καὶ ὁτιοῦν τοῦ ὄντος οὐ πάνυ μετρίως (sic Schneiderus pro eo quod in libris est μέτριον) γίγνεται· ἀτελὲς γὰρ οὐδὲν οὐδενὸς μέτρον. Quare non assentior Trendelenburgio qui l. l. hic quoque statuit modum significari: mensuram enim, non modum intellegi vel hinc patet quod non modus ipse sed mensura dici potest finem habere. Est autem sententia verborum mensuram talem justam non esse si quicquam in ea eorum quae sunt omissum sit. Ut igitur complectar alterius quoque generis duae formae apparuerunt una rerum quae mensuram habent altera eorum quae justam mensuram habent.

Iam vero exemplis quae ex ceteris Platonis dialogis congessi in uno conspectu positis apparet nullum in eis esse ubi μέτρον non mensurae sed modi sive finis notionem requirat. Quam quia ne ullo quidem Philebi loco cogimur ut statuamus idcirco hinc excludendam arbitrabimur. Simul vero aliam mensurae generum divisionem agnovimus quae adhuc in Philebo propter exemplorum inopiam latuit. Nam postquam intellexit μέτρον vocari aut simpliciter mensuram aut justam mensuram quis justae hujus mensurae exempla non statim in Philebo deprehendat? Conferenti enim p. 64 D: μέτρου καὶ τῆς ξυμμέτρου φύσεως μὴ

τυχοῦσα ἡτισοῦν καὶ ὁπωσοῦν ξύγκρασις πᾶσα ἐξ ἀνάγκης ἀπόλλυσι τά τε κεραννύμενα καὶ πρώτην αὑτήν non potest dubium esse quin hic justa mensura significetur quae in rebus conspicua est. Contra si quis attenderit ad p. 26 D: *ἀλλὰ τρίτον φάθι με λέγειν, ἓν τοῦτο τιθέντα τὸ τούτων ἔκγονον ἅπαν, γένεσιν εἰς οὐσίαν ἐκ τῶν μετὰ τοῦ πέρατος ἀπειργασμένων μέτρων* vix poterit non cogitare de rebus quae justam mensuram habent.

Sed nunc ad *μέτριον* transeundum est eodem modo accuratius definiendum. Quo vocabulo simpliciter finiti aliquid designari videtur in Legg. V p. 746 A: *ὑπομενοῦσι χρηματά τε ἔχοντες τακτὰ καὶ μέτρια διὰ βίου παντός.* Rep. IV p. 43 C: *τὰς δέ γε ἁπλᾶς τε καὶ μετρίας.* Legg. VII p. 816 C *μέτριοι πρὸς τὰς ἡδονάς* appellantur qui omnino modum adhibent voluptatibus. Cujus generis cum sint perpauca ut videtur eaque dubia exempla plura alterius extant veluti Legg. XI p. 918 D: *σμικρὸν γένος ἀνθρώπων καὶ φύσει ὀλίγον καὶ ἄκρᾳ τροφῇ τεθραμμένον, ὅταν εἰς χρείας τε καὶ ἐπιθυμίας τινῶν ἐμπίπτῃ, καρτερεῖν πρὸς τὸ μέτριον δυνατόν ἐστι, καὶ ὅταν ἐξῇ χρήματα λαβεῖν πολλά, νήφει καὶ πρότερον αἱρεῖται τοῦ πολλοῦ τὸ τοῦ μέτρου ἐχόμενον· τὰ δὲ τῶν ἀνθρώπων πλήθη πᾶν τοὐναντίον ἔχει τούτοις, δεόμενά τε ἀμέτρως δεῖται καὶ ἐξὸν κερδαίνειν τὰ μέτρια ἀπλήστως αἱρεῖται κερδαίνειν.* Rep. V p. 466 B: *μηδ' ἀρκέσει αὐτῷ βίος οὕτω μέτριος καὶ βέβαιος καὶ ὡς ἡμεῖς φαμὲν ἄριστος.* Legg. IV p. 719 D: *οὔσης γὰρ ταφῆς μὲν ὑπερβεβλημένης, τῆς δὲ ἐλλειπούσης, τῆς δὲ μετρίας, τὴν μίαν ἑλόμενος σύ, τὴν μέσην, ταύτην προστάττεις καὶ ἐπῄνεσας ἁπλῶς.* In his cum v. *μέτριον* de rebus usurpetur alia addo in quibus ad homines pertinet veluti Legg. IX p. 866 A: *τούτῳ δὴ τῷ νόμῳ ἐὰν μὲν ἑκὼν πείθηταί τις, ὁ τοῦ τελευτήσαντος γένει ἐγγύτατα, ἐπίσκοπος ὢν τούτων πάντων γενομένων ἐχέτω συγγνώμην τε καὶ ἄγων πρὸς αὐτὸν εἰρήνην μέτριος ἂν εἴη πάντως.* ib. VII p. 809 E. *τὸν μέλλοντα πολίτην ἔσεσθαι μέτριον.* ib. XII p. 955 E: *θεοῖσι δε ἀναθήματα χρεὼν ἔμμετρα τὸν μέτριον ἄνδρα ἀνατιθέντα δωρεῖσθαι,* cf. Rep. III p. 396 C. ib. IV p. 423 E. in his justa mensura absoluta est in aliis ad aliquid refertur ut Legg. VII p. 789 C: *τρέφουσι γὰρ δὴ παρ' ἡμῖν οὐ μόνον παῖδες ἀλλὰ καὶ πρεσβύτεροί*

τινες ὀρνίθων θρέμματα, ἐπὶ τὰς μάχας τὰς πρὸς ἄλληλα ἀσκοῦντες τὰ τοιαῦτα τῶν θηρίων. πολλοῦ δὴ δέουσιν ἡγεῖσθαι τοὺς πόνους αὐτοῖς εἶναι τοὺς πρὸς ἄλληλα μετρίους, ἐν οἷς αὐτὰ ἀνακινοῦσι γυμνάζοντες. ib. VII p. 810 A: λύρας δὲ ἅψασθαι τρία μὲν ἔτη καὶ δέκα γεγονόσιν ἄρχεσθαι μέτριος ὁ χρόνος. Quibus exemplis allatis constat *μέτριον* esse aut in universum id quod finitum sit aut quod justo modo finitum sit.

Iam hae duae eorum quae *μέτρια* sunt formae nonne in Philebo quoque discernuntur? Tria enim supra eorum exempla ex Philebo attuli. Quorum duo p. 24 C et p. 43 C finiti significationem produnt, tertium quod legitur p. 32 A cum videretur idem esse quod aptum justi modi notionem continet.

Nunc transeamus ad v. *καίριον* definiendum. Ac melius erit initium disputationis facere a nomine *καιρός* unde *καίριος* derivatum est. Quod primum notissima significatione opportuni temporis occurrit Tim. p. 38 B: περὶ μὲν οὖν τούτων τάχ᾽ ἂν οὐκ εἴη καιρὸς πρέπων ἐν τῷ παρόντι διακριβολογεῖσθαι. Legg. IV p. 709 C: ὡς θεὸς μὲν πάντα καὶ μετὰ θεοῦ τύχη καὶ καιρὸς τἀνθρώπινα διακυβερνῶσι ξύμπαντα. ἡμερώτερον μὴν τρίτον ξυγχωρῆσαι τούτοις δεῖν ἕπεσθαι τέχνην· καιρῷ γὰρ χειμῶνος ξυλλαβέσθαι κυβερνητικὴν ἢ μή, μέγα πλεονέκτημα ἔγωγ᾽ ἂν θείην.*)

Deinde legg. XII p. 945 C: πολλοὶ καιροὶ πολιτείας λύσεώς εἰσι, καθά περ νεὼς ἢ ζῴου τινός, οὓς ἐντόνους τε καὶ ὑποζώ-

---

*) Badhamius epistolae quam de Platonis legg. scripsit p. XXIV pro eo quod in codicibus est *πάντα* et *θεοῦ* proposuit *πρῶτος* et *θεόν*. Et quamquam quae traduntur aliquo modo explicari possunt tamen conjectura illa recepta multo concinnior fit oratio. Quare has mutationes praesertim cum non admodum difficiles sint eis quae in libris leguntur praetulerim. Eundem vero sequi non possum quod existimat *ἡμερώτερον* in *μετριώτερον* mutandum esse. Quamquam enim exemplum quod huic loco ab omni parte simile sit mihi non innotuit tamen Astius docet utriusque vocabuli notionem tam affinem esse ut dubium non sit quin hic quoque eodem jure atque vocabulum *μετριώτερον* usurpari possit v. *ἡμερώτερον*. Denique addiderim neque v. *χειμῶνος* neque illud *ἢ μή* ut Badhamius suadet ejicienda esse sed illud *ἢ μή* in *ἤδη* mutandum ut omnia recte se habeant.

ματα καὶ νεύρων ἐπιτόνους, μίαν οὖσαν φύσιν διεσπαρμένην, πολλαχοῦ πολλοῖς ὀνόμασι προςαγορεύομεν· εἷς δὲ οὗτος οὐ σμικρότατος καιρὸς τοῦ σώζεσθαί τε καὶ διαλυθεῖσαν οἴχεσθαι πολιτείαν. *)

In hoc postremo autem exemplo v. *καιρὸς* quivis videt non significare opportunum tempus sed eam rem in qua alius rei salus vertitur. Denique *καιρὸς* omnino quod opportunum est significare haec tria exempla ostendunt. Polit. p. 307 B: *Ὀξύτερα μὲν αὐτὰ γιγνόμενα τοῦ καιροῦ καὶ θάττω καὶ σκληρότερα φαινόμενα ὑβριστικὰ καὶ μανικὰ λέγοντες, τὰ δὲ βραδύτερα καὶ μαλακώτερα δειλὰ καὶ βλακικά.* cf. p. 307 B. Legg. I p. 636 E: *δύο γὰρ αὗται πηγαὶ (αἱ ἡδοναὶ καὶ αἱ λῦπαι) μεθεῖνται φύσει ῥεῖν, ὧν ὁ μὲν ἀρυτόμενος ὅθεν τε δεῖ καὶ ὁπότε καὶ ὁπόσον εὐδαιμονεῖ, καὶ πόλις ὁμοίως καὶ ἰδιώτης καὶ ζῷον ἅπαν, ὁ δ' ἀνεπιστημόνως ἅμα καὶ ἐκτὸς τῶν καιρῶν τἀναντία ἂν ἐκείνῳ ζῴη.* Tim. p. 85 D: *αἳ (αἱ ἶνες) διεσπάρησαν μὲν εἰς αἷμα, ἵνα συμμέτρως λεπτότητος ἴσχοι καὶ πάχους καὶ μήτε διὰ θερμότητα ὡς ὑγρὸν ἐκ μανοῦ τοῦ σώματος ἐκρέοι, μήτ' αὖ πυκνώτερον δυςκίνητον ὂν μόγις ἀναστρέφοιτο ἐν ταῖς φλεψί. καιρὸν δὴ τούτων ἶνες τῇ τῆς φύσεως γενέσει φυλάττουσιν.* Quae opportuni notio tam prope accedit ad justi modi significationem ut ultimo hoc Timaei loco in eam paene transierit. Attamen quamquam justi modi nota duobus hujus notionis generibus adest tamen quia unum ea caret statuere debemus non hac ut peculiari nota *καιρός* a ceteris distingui. Quae potius in eo videtur cerni quod tria genera omnia ad salutem alius rei proxime pertinent. Itaque quoniam id in quo *καιρός* aliquo modo inest *καίριον* dicitur consectarium esset ut tres ejus significationes in adjectivo denuo

---

*) Libri praebent *ἐντόνους* quod sensu carere inter omnes constat, attamen illud *ἐν* cum non appareat cur additum sit non videtur ut ceteri existimarunt statim ejiciendum esse. Quare suspicor ante *τόνους* excidisse *τούτοις* id quod propter literarum similitudinem fieri facile potuit. Accedit quod ita ambiguitas quaedam quae in verbis inest tollitur; propter verba enim nihil obstat, quominus sententia illa relativa *οὓς κ. τ. λ.* referatur ad illa *πολλοὶ καιροὶ πολιτείας λύσεως*, addito vero illo *τούτοις* declaratur eam pertinere ad verba quae interposita sunt *καθάπερ κ. τ. λ.*

inveniantur. At tres quos Astius attulit locos unius illius exemplum nullum praebent quamquam extra Platonis libros illius quoque notionis certissima testimonia sunt. Ita opportuni notio locum habet Legg. XII p. 961 A: εἴ τί που πρὸς τὴν νομοφυλακίαν γίγνοιτο ἓν καίριον ἀκοῦσαι. Deinde καίρια omnino sunt commoda et utilia Legg. IX p. 855 E: τῶν δὲ ῥηθέντων ἐπισφραγισαμένους ὅσα ἂν εἶναι καίρια δοκῇ. In tertio Tim. p. 51 D: nunc non καιριώτατον sed ἐγκαιριώτατον ex optimorum codicum auctoritate scribitur. Itaque quamquam propterea jam quod e Platone sola innotuit haec interpretatio huic quoque loco de quo agimus convenire putanda erat tamen certi aliquid tum demum statuere poterimus cum exploraverimus utrum cum ceteris uno genere comprehendatur necne. Iam neque μέτρον neque μέτριον aliquid exprimunt quod ad salutem alicujus rei proxime pertinet ita ut plane dubitari nequeat quin hac significatione καίριον nunquam cum ceteris uno genere Plato complexus fuerit. Quare altera notio quae sola exemplis confirmata est quid simile cum ceteris habeat videre debemus. Quae ut repetam non in universum significat id quod ad alius rei salutem pertinet sed quod ita ad eam pertinet ut commodum et utile sit. Neutrum autem fieret nisi justo modo terminatum esset et inter duo quae nocent extrema medium teneret. Quodsi tres quas μέτρον habere visum est notiones cum hac comparamus neque mensura qua metimur neque generaliter id quod finitum est sed solum id quod justo modo finitum est cum ea congruere videtur. Eademque notio e duabus quas μέτριον praebet eligenda est ut μέτριον et καίριον unum genus effecisse credibile sit. Itaque cum uno genere haec tria vocabula μέτρον μέτριον καίριον Plato conjunxerit necesse est in genus eorum rettulerit quae justam mensuram non excedunt sed mediam inter duo extrema viam sequuntur. Quae quamquam satis probabilia sunt et firmo fundamento nituntur tamen nihil nisi veri similitudinem haberent nisi ipse Plato vere me judicasse expressis verbis testaretur, Polit. p. 284 E: Δῆλον ὅτι διαιροῖμεν ἂν τὴν μετρητικήν, καθά περ ἐρρήθη, ταύτῃ δίχα τέμνοντες, ἓν μὲν τιθέντες αὐτῆς μόριον συμπάσας τέχνας, ὁπόσαι τὸν ἀριθμὸν καὶ μήκη καὶ βάθη καὶ πλάτη καὶ παχύτητας πρὸς τοὐναντίον μετροῦσι, τὸ δὲ ἕτερον, ὁπόσαι πρὸς τὸ μέτριον καὶ τὸ πρέπον

*καὶ τὸν καιρὸν**) *καὶ τὸ δέον καὶ πάνθ᾽ ὁπόσα εἰς τὸ μέσον ἀπῳκίσθη τῶν ἐσχάτων.*

Ita cum duobus argumentis stabilitum sit *μέτριον* ejusque genus esse id quod alias Plato *μέσον* vocat tertium inde accedit quod ita hoc genus a posteriore accurate distinguitur. Quod discrimen clarissime apparebit si antea posterioris vim et notionem subtilius quam supra solis Philebi locis adhibitis fieri potuit enodaverimus. Iam primum si *σύμμετρον* quid sit definire volumus certam viam monstrat Parmenides p. 140 C: *μεῖζον δέ που ἢ ἔλαττον ὄν, οἷς μὲν ἂν σύμμετρον ᾖ, τῶν μὲν ἐλαττόνων πλείω μέτρα ἕξει, τῶν δὲ μειζόνων ἐλάττω. Ναί. Οἷς δ᾽ ἂν μὴ σύμμετρον, τῶν μὲν σμικροτέρων, τῶν δὲ μειζόνων μέτρων ἔσται.* Quam definitionem sequentes *σύμμετρον* appellabimus id quod eandem mensuram atque aliud quid recipit. cf. Rep. VII p. 514 A: *ἴσων ἢ διπλασίων ἢ ἄλλης τινὸς συμμετρίας.* Soph. p. 235 D: *ἔστι δ᾽ αὕτη μάλιστα, ὁπόταν κατὰ τὰς τοῦ παραδείγματος συμμετρίας τις ἐν μήκει καὶ πλάτει καὶ βάθει, καὶ πρὸς τούτοις ἔτι χρώματα ἀποδιδοὺς τὰ προσήκοντα ἑκάστοις, τὴν τοῦ μιμήματος γένεσιν ἀπεργάζηται.* cf. p. 235 E. p. 236 A. Quae notio quia ex origine verbi proxime manat omnium prima censenda est. Quoniam vero omnia quae eandem mensuram capiunt ita comparata sunt ut in unum quasi corpus conjungi possint paulatim v. *σύμμετρον* ad ea omnia significanda transiit quae facile inter se consociantur. Ita aëri *συμμετρία* tribuitur Tim. p. 66 A: *καὶ ὅσα ἀέρος συμμετρίαν ἔχοντα κ. τ. λ.* ib. p. 66 D: *ἐπειδὰν οὖν ὄμμα καὶ ἄλλο τι τῶν τούτῳ ξυμμέτρων πλησιάσαν γεννήσῃ τὴν λευκότητά τε καὶ αἴσθησιν αὐτῇ ξύμφυτον, ἃ οὐκ ἄν ποτε ἐγένετο ἑκατέρου ἐκείνων πρὸς ἄλλο ἐλθόντος κ. τ. λ.* Tim. p. 69 B: *ταῦτα ἀτάκτως ἔχοντα ὁ θεὸς ἐν ἑκάστῳ τε αὑτῷ πρὸς αὑτὸ καὶ πρὸς ἄλληλα συμμετρίας ἐνεποίησεν, ὅσας τε καὶ ὅπῃ δυνατὸν ἀνάλογα καὶ σύμμετρα εἶναι.* Ab hac notione non multum recedit alia qua praeditum omnino ea quae apta et commoda sunt de-

---

*) Badhamius Philol. Suppl. II. p. 341 proponit ut *τοὔγκαιρον* scribatur quod confiteor admodum probabile mihi videri nisi nomen *καιρὸς* inter adjectiva positum eodem jure excusatur quo *μέτρον* cum vocabulis *μέτριον* et *καίριον* conjunctum.

signat. Ita Legg. VI p. 772 E: *Κάλλιστα, ὦ ξένε, διεμνημονεύσας, ἔλαβές τε τοῦ λόγου καιρὸν καὶ μάλ᾽ ἐμοὶ δοκοῦντ᾽ εἶναι σύμμετρον.* ib. VII p. 788 E: *πολλὴ αὔξη ὅταν ἐπιῤῥέῃ πόνων χωρὶς πολλῶν καὶ συμμέτρων, οὐκ ἴσμεν ὅτι μυρία κακὰ ἐν τοῖς σώμασιν ἀποτελεῖ;* ib. XI p. 295 A: *τὴν δὲ τοῦ τῶν γάμων χρόνου συμμετρίαν τε καὶ ἀμετρίαν ὁ δικαστὴς σκοπῶν κρινέτω.* ib. VII p. 803 B: *ἴσως ἂν ἡμῖν σύμμετρον ἂν εἴη.* Videtur igitur duplex esse notio vocabuli *σύμμετρος.* At utramque si diligentius consideraveris invenies designare rem ita comparatam ut cum alia facile conjungatur. Quod unum est congruentiae genus: differt enim ab eo congruentia quae tribuitur rei ex partibus inter se congruentibus compositae veluti Tim. p. 87 C: *πᾶν δὴ τὸ ἀγαθὸν καλόν, τὸ δὲ καλὸν οὐκ ἄμετρον· καὶ ζῷον οὖν τὸ τοιοῦτον ἐσόμενον ξύμμετρον θετέον.* Quibus exemplis duplex congruentiae genus non minus in ceteris Platonis dialogis quam in Philebo extare ostenditur.

Nunc vero ad v. *καλόν* definiendum ubi aggredior unus dialogus qui Hippias major inscribitur huic definitioni totus inservit. Cujus summam si diligenter reputamus tria ibi statuuntur pulchri genera: primum enim pulchra dicuntur quaecunque utilia et commoda sunt cf. p. 295 C: *τοῦτο γὰρ δὴ ἔστω ἡμῖν καλόν, ὃ ἂν χρήσιμον ᾖ. εἶπον δὲ ἐκ τῶνδε ἐννοούμενος. καλοί, φαμέν, οἱ ὀφθαλμοί εἰσιν, οὐχ οἳ ἂν δοκῶσι τοιοῦτοι εἶναι οἷοι μὴ δυνατοὶ ὁρᾶν, ἀλλ᾽ οἳ ἂν δυνατοί τε καὶ χρήσιμοι πρὸς τὸ ἰδεῖν κ. τ. λ.* nam plura praeterea exempla afferuntur veluti corpus animalia instrumenta denique quae nullam aliam ob causam pulchra vocantur quam quod utilia sunt. Quibus alterum genus eorum additur quae aurium et oculorum sensibus percepta homines oblectant cf. p. 298 A: *ὅρα γάρ, εἰ ὃ ἂν χαίρειν ἡμᾶς ποιῇ, μή τι πάσας τὰς ἡδονάς, ἀλλ᾽ ὃ ἂν διὰ τῆς ἀκοῆς καὶ τῆς ὄψεως, τοῦτο φαῖμεν εἶναι καλόν, πῶς τί ἄρ᾽ ἂν ἀγωνιζοίμεθα; οἵ τέ γέ που καλοὶ ἄνθρωποι, ὦ Ἱππία, καὶ τὰ ποικίλματα πάντα καὶ τὰ ζωγραφήματα καὶ τὰ πλάσματα τέρπει ἡμᾶς ὁρῶντας, ἃ ἂν καλὰ ᾖ· καὶ οἱ φθόγγοι οἱ καλοὶ καὶ ἡ μουσικὴ ξύμπασα καὶ οἱ λόγοι καὶ αἱ μυθολογίαι ταὐτὸν τοῦτο ἐργάζονται.* Aliis verbis idem pulchri genus significatur Legg. II p. 655 E: *οἷς μὲν ἂν πρὸς τρόπον τὰ ῥηθέντα ἢ μελῳδηθέντα ἢ καὶ ὁπωσοῦν*

χορευθέντα ἢ κατὰ φύσιν ἢ κατὰ ἔθος ἢ κατ᾽ ἀμφότερα, τούτους μὲν ἐπὶ (sic Badhamius in epistola quam de legibus ad Thompsonum scripsit pro *καί* scribendum esse conjecit) *τούτοις χαίρειν τε καὶ ἐπαινεῖν αὐτὰ καὶ προςαγορεύειν καλὰ ἀναγκαῖον, οἷς δ᾽ ἂν παρὰ φύσιν ἢ τρόπον ἤ τινα ξυνήθειαν, οὔτε χαίρειν δυνατὸν οὔτε ἐπαινεῖν αἰσχρά τε προςαγορεύειν.* Quae duo pulchri genera jucundi et utilis eodem modo discernuntur Gorg. p. 474 D: *τὰ καλὰ πάντα, οἷον καὶ σώματα καὶ χρώματα καὶ σχήματα καὶ φωνὰς καὶ ἐπιτηδεύματα, εἰς οὐδὲν ἀποβλέπων καλεῖς ἑκάστοτε καλά; οἷον πρῶτον τὰ σώματα τὰ καλὰ οὐχὶ ἤτοι κατὰ τὴν χρείαν λέγεις καλὰ εἶναι, πρὸς ὃ ἂν ἕκαστον χρήσιμον ᾖ, πρὸς τοῦτο, ἢ κατὰ ἡδονήν τινα, ἐὰν ἐν τῷ θεωρεῖσθαι χαίρειν ποιῇ τοὺς θεωροῦντας κ. τ. λ.* nam singulatim confirmat auctor quod in universum pronuntiavit. Quodsi hic Plato aperte declarat pulchra esse aut quae usui sint aut quae delectent duo tantum pulchri genera statuit itaque omisit tertium quod duobus illis additur in Hippiae p. 293 E: *ἀλλὰ τὸ τοιόνδε σκόπει, εἴ σοι δοκεῖ καλὸν εἶναι οὗ καὶ νῦν δὴ ἐπελαβόμεθα ἐν τῇ ἀποκρίσει, ἡνίκ᾽ ἔφαμεν τὸν χρυσόν, οἷς μὲν πρέπει, καλὸν εἶναι, οἷς δὲ μή, οὔ, καὶ τἆλλα πάντα οἷς ἂν τοῦτο προςῇ· αὐτὸ δὴ τοῦτο τὸ πρέπον καὶ τὴν φύσιν αὐτοῦ τοῦ πρέποντος σκόπει, εἰ τοῦτο τυγχάνει ὂν τὸ καλόν.* In quibus vocabulo *πρέπον* designatur id quod conveniens et aptum est. Cum tribus igitur quae enumeravimus generibus comparemus Tim. p. 87 D: *πρὸς γὰρ ὑγιείας καὶ νόσους ἀρετάς τε καὶ κακίας οὐδεμία ξυμμετρία καὶ ἀμετρία μείζων ἢ ψυχῆς πρὸς σῶμα αὐτό· ὧν οὐδὲν σκοποῦμεν, οὐδ᾽ ἐννοοῦμεν ὅτι ψυχὴν ἰσχυρὰν καὶ πάντῃ μεγάλην ἀσθενέστερον καὶ ἔλαττον εἶδος ὅταν ὀχῇ, καὶ ὅταν αὖ τοὐναντίον ξυμπαγῆτον τούτω, οὐ καλὸν ὅλον τὸ ζῶον — ἀξύμμετρον γὰρ ταῖς μεγίσταις ξυμμετρίαις —, τὸ δ᾽ ἐναντίως ἔχον πάντων θεαμάτων τῷ δυναμένῳ καθορᾶν κάλλιστον καὶ ἐρασμιώτατον.* Quibus perfecte pulchrum docemur id esse cujus singulae partes accommodatae inter se et congruae sint. Quo exemplo adducor ut verum quod inter pulchra intercedit discrimen aliud existimem esse atque ipse Plato in Hippia et in Gorgia statuit. Arbitror enim pulchra vocari omnia aut quia ad alia referuntur aut quia ipsa per se spectantur. In illorum numero habeo quaecunque

vel utilia vel apta vel etiam decora sunt, in horum autem quaecunque secum congruunt. Quae eadem differentia in Philebi exemplis cernitur cum pulchra dicantur vel quae modum habent et finita sunt vel quae secum congruunt et ex partibus constant moderatis. Illa permulta sunt, horum est perfectus ille hominis status qui ad pulchritudinis normam miscetur. Et nunc quidem intellegimus quid sibi velit illa pulchritudinis definitio quae non simpliciter ex moderatione sed ex moderatione et congruentia illam existere dicit. Qua ratione igitur id quod congruit in duas formas dividitur eadem pulchritudinis statuuntur duae esse.

Neque dissimile est discrimen quo duo perfecti genera internoscuntur: sequitur enim ut de vocabulo *τέλεον* eodem modo disseramus. Quare ut initio ponam quod quaerenti statim sese obtulit, eadem perfecti genera in ceteris dialogis sunt quae in Philebo reperiuntur. Nam quamquam vere supra dixi unum tantum nominari duo tamen significantur: quod enim p. 24 B dicitur *τέλος ἔχειν* quis non appellaverit *τέλεον*? Quam notionem ab hujus vocabuli natura non alienam esse demonstrat Rep. II. p. 371 E: *ἆρ᾽ οὖν, ὦ Ἀδείμαντε, ἤδη ἡμῖν ηὔξηται ἡ πόλις, ὥςτ᾽ εἶναι τελέα;* ubi *τελέα* vocatur quae crescendo ad summum pervenit. Deinde cf. Rep. IV. p. 443 B: *τέλεον ἄρα ἡμῖν τὸ ἐνύπνιον ἀποτετέλεσται ὃ ἔφαμεν ὑποπτεῦσαι, ὡς κ. τ. λ.* quae nihil aliud sibi volunt quam quod quasi per somnum visum erat nunc in rerum veritatem traductum esse. Ad eundem modum interpretandum est Legg. VIII p. 850 C: *ἐπελθὼν καὶ πείσας τὴν πόλιν, ἅ περ ἂν πείσῃ, ταῦτα αὐτῷ τέλεα γιγνέσθω.* Iam civitas si *τελέα* dicitur motus alicujus subest cogitatio qui in summo fastigio constitit. Deinde somnium illud initium saltem motus alicujus est qui in rerum veritate finem assequitur. Denique si cui quae optabat et cupiebat contingunt ut illo legum loco fieri dicitur is motus quidam putatur esse qui a voluntate hominis ad veritatem usque processit. Quod perfecti genus plane respondere ei quod in Philebo *τέλος ἔχον* dicitur praecipue probant quae in sermonis illius p. 24 D leguntur: *προχωρεῖ γὰρ καὶ οὐ μένει τό τε θερμότερον ἀεὶ καὶ τὸ ψυχρότερον ὡςαύτως, τὸ δὲ ποσὸν ἔστη καὶ προϊὸν ἐπαύσατο*: nam *ποσόν* et *τέλος ἔχον* illo loco pro eisdem habere sciunt qui eum legerunt. Et possumus

hoc perfecti genus simplici finiti nomine afficere cui opponamus quod absolute et vere perfectum vocatur. Constat enim hac altera significatione perfecta dici quaecunque speciem cogitatam ita referunt ut nulla ejus pars in imagine omissa sit. Ita sophista perfectus in Cratyl. p. 403 E. Orcus appellatur quia nihil ei deest eorum quae sophistae notione continentur. Deinde ut duobus praeterea allatis exemplis hac quaestione defungar si Legg. I. p. 647 D*). perfectus ad fortitudinem quis vocatur is hanc laudem meruit quod quaecunque forti viro propria sunt in illo apparuere.

Itaque de re aliqua si quaeritur utrum perfecta sit necne ipsa per se sola spectanda erit ut si partes quae requiruntur omnes erunt inventae perfecta esse judicetur. Contra finitum quod est si per se et solum spectaremus nunquam intellegeremus finitum esse: finis enim nisi in infinito nusquam apparet. Quare nihil cognoscemus esse finitum nisi cum infinito illud comparaverimus. Ita reipublicae illo loco civitas *τελέα* ea appellatur quae jam finem adepta in majus crescere desiit; neque quominus v. *τελέα* hic ita accipiatur impedit quod eadem civitas etiam ad alterum perfecti genus pertinet. Quomodo enim fieri potuisset ut eodem nomine haec duo genera insignirentur nisi saepius eveniret ut res quae finem adepta est eadem perfecta et omnibus numeris absoluta sit? Attamen quamquam utraque perfecti notio saepenumero in unum idemque quadrabit tamen ipsae notiones accurate inter se distinguendae sunt: aliud enim est quod perfectum dicitur propter finem quem assecutum est, aliud quod ita appellatur quia nulla parte caret. Neque sophista *τέλεος* si vocatur de opere confecto cogitatur sed de notionis ambitu quem ille totum explevit. Absurdum vero esset putare spem timorem optata hominis si perfecta dicuntur id fieri quia uniuscujusque natura ab

*) De hoc loco diversae extant interpretum sententiae. Stallbaumio enim integritatem ejus defendente ceteri amplectuntur Astii conjecturam qui pro *ἤ* particula restituit *ἦ οὐ*. Sed quamquam hunc recte intellexisse puto in istis *ἢ τῇ* — *ἀρετήν* inesse affirmationem eorum quae antea interrogata sunt tamen nego eum in illa exprimenda facillimam viam secutum esse. Multo enim simplicius et a literarum vestigiis propius est si *ἤ* particula mutata in *καὶ* interrogationis signum post v. *ἀρετήν* tollimus.

omni parte consummata est. Tum enim perfecta spes esset quae et optima et maxime inania speraret. Contra perfectam spem si probe intellegimus finita ea est et talis quae jam ipsa veritate quasi exstincta sit. Bene scio sophistam quoque perfectum revera factum esse et paullatim demum ad ultimum quem ipsa notio proponit finem pervenisse, nego autem cogitari a Platone alium atque eum in quo singulae sophistae notae cunctae apparent. Quam sententiam ipse confirmat in Tim. p. 41 B: *θνητὰ ἔτι γένη λοιπὰ τρί᾽ ἀγέννητα. τούτων οὖν μὴ γενομένων οὐρανὸς ἀτελὴς ἔσται· τὰ γὰρ ἅπαντα ἐν αὑτῷ γένη ζῴων οὐχ ἕξει, δεῖ δέ, εἰ μέλλει τέλεος ἱκανῶς εἶναι.* Ad initium igitur ut redeam alterum perfecti genus non cognoscimus nisi ex alio quod comparatur alterum per se ipsum satis definitum est. Vel ut aliter idem exprimam alterum quod finitum est *τέλεον* vocatur quia desiit infinitum esse, alterum quia eo usque auctum est ut jam ultra progredi sua natura prohibeatur. Illi igitur extrinsecus finis impositus est, huic sua natura praescriptus. Quod discrimen quis non videt idem esse atque illud quo et *σύμμετρον* et *καλόν* in duas partes distribuuntur? Unum *σύμμετρον* et unum *καλόν* erat quod ita vocatur quia ad alia refertur alterum quia congruentiam et pulchritudinem in sua natura expressam gerit. Ceterum obiter tango eandem rationem esse ambarum verbi *τέλειος* notionum quarum altera perfecta omnia et consummata altera ea quae adulta sunt significat.

Ita cum tres notiones singulae in easdem partes dividantur exspectandum est fore ut quarta quae ad idem genus pertinet eandem partium distributionem patiatur. Et facile similis in hac notione dividendi ratio apparet. Nam Protag. p. 322 D: *εἷς ἔχων ἰατρικὴν πολλοῖς ἱκανὸς ἰδιώταις, καὶ οἱ ἄλλοι δημιουργοί,* is dicitur *ἱκανός* qui hominibus aliis sufficit. Contra in ejusdem dialogi p. 329 B: *Πρωταγόρας δὲ ὅδε ἱκανὸς μὲν μακροὺς λόγους καὶ καλοὺς εἰπεῖν, ὡς αὐτὰ δηλοῖ, ἱκανὸς δὲ καὶ ἐρωτηθεὶς ἀποκρίνασθαι κατὰ βραχὺ καὶ ἐρόμενος περιμεῖναί τε καὶ ἀποδέξασθαι τὴν ἀπόκρισιν, ἃ ὀλίγοις ἐστὶ παρεσκευασμένα* illud *ἱκανός* eum designat qui rei alicui agendae sufficit. Eodemque modo si quis in Phaedr. p. 258 B, *ἱκανὸς ῥήτωρ* dicitur is intellegendus est qui condicionibus in oratoris notione positis satis-

fecit. Jam cum his comparetur Phaedr. p. 242 C: *εἰμὶ δὴ οὖν μάντις μέν, οὐ πάνυ δὲ σπουδαῖος, ἀλλ' ὥσπερ οἱ τὰ γράμματα φαῦλοι, ὅσον μὲν ἐμαυτῷ μόνον ἱκανός* quibus significatur aliquid interesse inter ea quae aliis et ea quae sibi sufficiunt. Etiam accuratius autem distinguendum esse ostendit Lys. p. 215 A: *τί δαί; οὐχ ὁ ἀγαθός, καθ' ὅσον ἀγαθός, κατὰ τοσοῦτον ἱκανὸς ἂν εἴη αὑτῷ; Ναί. Ὁ δέ γε ἱκανὸς οὐδενὸς δεόμενος κατὰ τὴν ἱκανότητα. Πῶς γὰρ οὔ; Ὁ δὲ μή του δεόμενος οὐδέ τι ἀγαπῴη ἄν* et Rep. III p. 387 D: *ἀλλὰ μὴν καὶ τόδε λέγομεν, ὡς ὁ τοιοῦτος μάλιστα αὐτὸς αὑτῷ αὐτάρκης πρὸς τὸ εὖ ζῆν καὶ διαφερόντως τῶν ἄλλων ἥκιστα ἑτέρου προςδεῖται.* Nimirum ille qui sibi satis vaticinabatur non tam sibi quam uni desiderio quod habebat satisfecit contra hic suo jure sibi satis esse dicitur cum non unum aliquod sed omnia sua desideria expleat. Nam quod tempore et loco mutatis ipsum non mutatur id vere ad ipsum hominem pertinere dicitur quod autem ex duobus illis suspensum est singulas tantum illius partes attingit. Qui igitur cum omnia sua desideria explere cogitetur omni tempore et loco sibi sufficit is sane sibi ipse satis est. Atque hoc extremum genus illud est quod dum per se et solum a quacunque parte spectatur *ἱκανόν* videtur esse. Quod diversum est a duobus illis quae *ἱκανά* putantur alterum si ad alia refertur alterum si a certa quadam parte spectatur. Atque idem discrimen supra in Philebo observavi: nam cum omnibus fere eisque in hac quaestione gravissimis locis *ἱκανόν* sit quod sibi sufficit unum tamen alterius quoque generis exemplum attuli.

Cognovimus igitur haec quattuor vocabula quae uno genere comprehenduntur unumquidque duas continere notiones. Iam quaeritur utrum altera tantum earum hic significetur an utraque. Quam quaestionem facilius puto dissolutum iri si eas cum priore genere quam si inter se comparaverimus. Et apparet ut ab eo quod ultimo loco tractavi initium faciam illud *ἱκανόν* quod aliquid alii rei sufficere significat priori generi simillimum esse. Nam Legg. VII 789 C: *πολλοῦ δὴ δέουσιν ἡγεῖσθαι τοὺς πόνους αὐτοῖς εἶναι τοὺς πρὸς ἄλληλα μετρίους, ἐν οἷς αὐτὰ ἀνακινοῦσι γυμνάζοντες* illud *μετρίους* nullo sententiae detrimento commutatur cum v. *ἱκανούς*. Idem fit in Legg. VIII p. 836 A: *καὶ πᾶσα*

ἡ παιδεία μετρίους πρὸς τὰ τοιαῦτ᾽ εἴληφε νόμους. Neque ib. VI p. 772 B conjunctim diceretur χρόνος μέτριος ἅμα καὶ ἱκανός nisi admodum affines essent hac duae notiones. Attamen quamquam omnia quaecunque moderata sunt ideoque medium inter duo extrema tenent simul sufficere dici possunt paucissima tamen eorum sibi ipsa sufficiunt. Veluti eum qui Legg. IX p. 866 A aptus vocatur non statim dixerim sibi sufficere neque ib. VII p. 809 E: πολίτης μέτριος is est qui sibi sed qui reipublicae sufficit. Atque idem in ceteris quos supra attuli locis observatur. Iam eodem modo altera vocabuli τέλεος significatio qua quod finitum est designatur in omnia quadrat quaecunque moderata sive μέτρια sunt. Atqui exiguus admodum est numerus eorum quae moderata simul et vere perfecta dicuntur: non enim perfectum intellego quod finem aliquem assecutum est sed ab omni parte absolutum. Si igitur inter prius et posterius bonorum genus distinguere volumus ἱκανὸν statuere debemus denotare id quod sibi sufficit τέλεον id quod perfectum et undique absolutum est. Quibuscum egregie convenit quod in ipso Philebo v. τέλεος semper denotat quod perfectum et consummatum est v. ἱκανός autem plerisque locis et talibus significat quod sibi sufficit ut de altera notione hic statuenda cogitari nequeat. Iam ad σύμμετρον si accedimus et in Philebo et in ceteris dialogis duplicem constat ejus notionem esse: aut enim id significat quod alii rei aut quod secum ipsum congruit. Quod autem alii rei congruit id ei aptum et commodum est ita ut illud σύμμετρον et id quod μέτριον vocatur semper fere commutari possint. Veluti Legg. VII p. 789 A: πολλὴ αὔξη ὅταν ἐπιῤῥέῃ πόνων πολλῶν καὶ συμμέτρων κ. τ. λ. si pro v. συμμέτρων substituitur μετρίων sententia non obscuratur. Neque in Tim. p. 86 C: πολυκαρπότερον τοῦ ξυμμέτρου sententia obstat quominus scribatur μέτρου. Deinde Legg. IV p. 716 C ad mutuum duorum amorem requiritur ut utrumque moderatum et aptum sit cf. ib. VI p. 757 A. φίλα autem apud Platonem frequenti in usu esse ut σύμμετρα denotentur satis constat. Atqui in Tim. p. 87 C ubi animal quod secum congruit σύμμετρον nominatur, si quis pro v. σύμμετρον substituerit μέτριον sententiam pessumdabit quoniam quod μέτριον est non semper secum congruit. Neque alia ratio inter utramque pulchri formam

obtinet. Nimirum pulchrum quod propter partium quibus constat congruentiam tale est non minus a moderato differre quam illud *σύμμετρον* quod secum congruit per se intellegitur. Contra quod pulchrum vocatur propter utilitatem quam affert idem patet *μέτριον* esse. Veluti Hipp. maj. p. 295 C eidem oculi qui *χρήσιμοι πρὸς τὸ ἰδεῖν* dicuntur appellari possunt *μέτριοι πρὸς τὸ ἰδεῖν*. Certe utilia dicuntur esse quae *μέτρια* sunt in Amatt. p. 134 D: *Ἔτι δὲ κἀγὼ προσηνάγκαζον αὐτὸν ὁμολογεῖν καὶ τἆλλα πάντα τὰ περὶ τὸ σῶμα, τὰ μέτρια μάλιστα ὠφελεῖν, ἀλλὰ μὴ τὰ πολλὰ μηδὲ τὰ ὀλίγα· καί μοι ὡμολόγει τὰ μέτρια. Τί δέ, ἔφην τὰ περὶ τὴν ψυχήν; τὰ μέτρια ὠφελεῖ ἢ τὰ ἄμετρα τῶν προσφερομένων; Τὰ μέτρια, ἔφη. κ. τ. λ.*. Tum quod pulchrum dicitur quia decet sive id quod Graece *πρέπον* vocatur tam manifesto ad idem genus atque *μέτριον* refertur ut exemplis non opus sit. In eo autem genere quod pulchrum vocatur propter voluptatem quam hominibus affert jam supra distinxi duas formas alteram qua quae moderata sunt alteram qua secum congruentia insigniuntur. Iam utra et pulchri et congruentis forma hoc de quo agimus loco significetur eodem modo atque supra in vv. *ἱκανός* et *τέλεος* concluditur. Nam quoniam pulchrum et congruens quod hic commemoratur diversum sit necesse est ab eo quod *μέτριον* vocatur una autem utriusque generis forma nihil ab eo differt altera necessario hoc loco significatur. Itaque *σύμμετρον* intellegitur quod secum congruit *καλόν* autem speciem designat quae in re secum congruente apparet.

Ut igitur complectar *σύμμετρον* quod hic dicitur id est quod partes congruentes habet *καλόν* cujus pulchritudo ex partium congruentia oritur deinde *ἱκανόν* quod sibi sufficit *τέλεον* quod ab omni parte perfectum et consummatum est. Quod si conjectura assecutus sum has quattuor notiones a Philebi auctore hic uno genere comprehendi haec conjectura ipsius auctoris testimonio confirmatur qui easdem notiones in superioribus ita conjunxit ut eidem rei omnes tribueret: optimum enim hominis statum quem p. 64 A et D ponit *καλόν* et *σύμμετρον* esse eundem p. 60 B *ἱκανόν* et p. 61 A *τέλεον* vocat.

Atque eodem loco uti possumus ut discrimen quod inter prius et posterius bonorum genus intercedit definiamus: nam supra in-

telleximus quidem quantum inter singula posterioris generis vocabula et totum prius genus discrimen sit, sed neque id discrimen quale sit accuratius definivimus neque genus cum genere contulimus. Posterioris igitur generis vocabula illo Philebi loco summo bono, prioris singulis quibus illud constat partibus tribuuntur. Etenim ad mixtionem admittuntur quaecunque moderata sunt contra excluduntur quae modum non recipiunt. Quare et mens pura qualis in dialectica versatur et ceterae artes ac disciplinae quae etsi longius quam illa a veritate absunt tamen certum quendam modum semper tenent ad bonorum coetum vocantur. Neque alia de causa voluptates quae purae sunt non repudiantur: moderatae enim et ad beatum hominis statum utiles sunt. Eaedem vero ubi modo carentes libidinum naturam induunt nunquam ita cum ceteris consociantur ut placidus ille et aequalis animi status existat. Quare suo jure illae a summo bono removentur. Apparet igitur totum illud quod pulchrum et secum conveniens perfectum et sibi sufficiens est ita nasci ut partes quae moderatae sunt omnes in unum coëant. Iam cum id in quod quattuor illa secundi ordinis vocabula conveniunt ex partibus componatur quae jam finitae et moderatae sunt vehementer nego id quod justum modum habet idem esse atque quod *σύμμετρον* est. In qua re a ceteris interpretibus dissentio qui cum eis *μέτριον* et *σύμμετρον* simillima esse viderentur discrimen quod a Platone inter ea esse statuitur non in ipsorum vocabulorum significatione sed in rebus quas tecte et admodum obscure Plato illis significaverit posuerunt. Qui velim reputarint quomodo ipse auctor uberius exponat *μέτριον* tum gigni ubi id quod infinitum est terminatur: nam quae p. 25 E sqq. *σύμμετρα* et *καλά* vocantur ea et paullo post p. 26 D *μέτρα* appellantur et *μέτρια* esse supra ostendi. Quare voluptas pura ubi moderata dicitur esse satis jam significatur non ex partibus constare quae et ipsae moderatae sint sed ex fine et infinito temperari. Item de mente non congruentia sed moderatio laudatur quae neque cognoscendi neque agendi justos fines unquam egreditur. Iam mentem et voluptatem vidimus partes esse quibus compositis perfectus animorum status gignitur. Quis igitur non videt quo haec omnia spectent? Singulas scilicet partes moderatas et omnino tales esse quae prioris generis vocabulis appellen-

tur ipsum vero totum quod ex partibus illis componitur pulchrum secum congruens perfectum denique et sibi sufficiens esse. Quamquam autem omnia ita comparata sunt ut hanc conjecturam quasi sponte offerant tamen in re dubia et multorum conjecturis temptata nostris ingeniis jure diffidimus. Itaque ipse Plato testis citandus est ut ejus auctoritate opinio mea fulciatur. Qui cum judicium suum de totius et partium natura non uno loco in universum exposuerit ex singulis et pluribus illud colligere debemus. Ita quod ex partibus omnibus componitur totum vocatur idemque perfectum Parmen. p. 157 D: *οὐκ ἄρα τῶν πολλῶν οὐδὲ πάντων τὸ μόριον, ἀλλὰ μιᾶς τινὸς ἰδέας καὶ ἑνός τινος, ὃ καλοῦμεν ὅλον, ἐξ ἁπάντων ἓν τέλειον γεγονός, τούτου μόριον ἂν τὸ μόριον εἴη.* Quod autem perfectum est cum jam supra intellectum sit sibi sufficere hic Parmenidis locus totum quod perfectum esse dicit simul probat sibi sufficere. Iam accedit alius locus qui totum docet secum congruens ideoque pulchrum esse partes vero quibus illud constat convenientes et aptas: nam confer Gorg. p. 503 E: *οἷον εἰ βούλει ἰδεῖν τοὺς ζωγράφους, τοὺς οἰκοδόμους, τοὺς ναυπηγούς, τοὺς ἄλλους πάντας δημιουργούς, ὅν τινα βούλει αὐτῶν, ὡς εἰς τάξιν τινὰ ἕκαστος ἕκαστον τίθησιν ὃ ἂν τιθῇ, καὶ προσαναγκάζει τὸ ἕτερον τῷ ἑτέρῳ πρέπον τε εἶναι καὶ ἁρμόττειν, ἕως ἂν τὸ ἅπαν συστήσηται τεταγμένον τε καὶ κεκοσμημένον πρᾶγμα, καὶ οἵ τε δὴ ἄλλοι δημιουργοὶ καὶ οὓς νῦν δὴ ἐλέγομεν, οἱ περὶ τὸ σῶμα παιδοτρίβαι τε καὶ ἰατροί, κοσμοῦσί που τὸ σῶμα καὶ συντάττουσιν* cf. Polit. p. 308 E: *ταὐτὸν δή μοι τοῦθ᾽ ἡ βασιλικὴ φαίνεται πᾶσι τοῖς κατὰ νόμον παιδευταῖς καὶ τροφεῦσι, τὴν τῆς ἐπιστατικῆς αὐτὴ δύναμιν ἔχουσα, οὐκ ἐπιτρέπειν ἀσκεῖν ὅ τι μή τις πρὸς τὴν αὐτῆς ξύγκρασιν ἀπεργαζόμενος ἦθός τι πρέπον ἀποτελεῖ, ταῦτα δὲ μόνα παρακελεύεσθαι παιδεύειν.* Nam nisi quis sententia neglecta in verbis haeserit is mihi facile concedet totam rem quae hoc loco ordinata et bene disposita vocatur congruentiae et pulchritudinis exemplum esse. Eadem autem res ex partibus concinnatur quae singulae inter se congruae et aptae esse dicuntur. Quae partium natura vocabulo *πρέπον* significatur quod jam supra vidimus ad unum idemque genus atque *μέτριον* referri. Neque quicquam obstat quin eadem res quae hic secum congruere dicitur alias

ipsa alius cujusdam pars cogitetur esse ideoque moderata tantum et apta vocetur. Id quod in proximis statim factum est cum per se intelligatur *οἰκία χρηστή* significare domum aptam in qua habitetur, itemque *πλοῖον χρηστόν* navem idoneam qua navigetur. Quod commemorandum duxi ne quis hoc loco ad me refellendum utatur. Atque ut homines artifices ex singulis partibus ad justum modum terminatis totum opus componunt ita ipse deus qui hunc mundum ex elementis composuit singula prius apta et congruentia fecit quam universum ex eis construxit. Quam mundi constructionem cum totus Timaeus egregie describit tum ad institutum meum apte exponit p. 69 B: *ταῦτα ἀτάκτως ἔχοντα ὁ θεὸς ἐν ἑκάστῳ τε αὑτῷ πρὸς αὑτὸ καὶ πρὸς ἄλληλα συμμετρίας ἐνεποίησεν, ὅσας τε καὶ ὅπῃ δυνατὸν ἦν ἀνάλογα καὶ σύμμετρα εἶναι, τότε γὰρ οὔτε τούτων ὅσον μὴ τύχῃ τι μετεῖχεν, οὔτε τὸ παράπαν ὀνομάσαι τῶν νῦν ὀνομαζομένων ἀξιόλογον ἦν οὐδέν, οἷον πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ εἴ τι τῶν ἄλλων· ἀλλὰ πάντα ταῦτα πρῶτον διεκόσμησεν, ἔπειτα ἐκ τούτων πᾶν τόδε ξυνεστήσατο, ζῷον ἓν ζῷα ἔχον ἅπαντα ἐν αὑτῷ θνητὰ ἀθάνατά τε.* In singulas igitur partes quibus totum constituitur conveniunt prioris generis vocabula: saepius enim jam commemoravi, quae aliis congruant ad prius bonorum genus pertinere. Ex quibus partibus quod componitur totum esse perfectum sibi sufficiens pulchrum denique et secum congruens Timaeus omnibus persuadere studet. In illustri igitur exemplo apparuit quaecunque secundo loco enumerantur vocabula confecto operi convenire, primo loco quae nominantur ad partes pertinere. Neque contra hanc opinionem facit quod singulae partes et ipsae secum congruere dicuntur: nam cum Tim. p. 34 B mundus perfectus esse dicatur potissimum quod ex perfectis partibus constat, partes illas quae secum congruentes vocantur putabimus et ipsas esse perfectas et suis ex partibus compositas. Itaque quoquo te verteris semper id quod secum congruit videbis aliquo modo perfectum et totum esse, partes autem ejus quatenus quidem partes sunt moderatas tantum et aliis congruentes. Iam ut aliud exemplum afferam, id quod utile et commodum est ineptum esset ad secundum bonorum genus referre: utile enim plane cogitari non potest, nisi quod ad alia adhibetur, contra secundo loco ponuntur, quaecunque absoluta et in se conclusa

exstant. Itaque nihil superest, nisi ut utilia in priore genere numerentur siquidem alterutri eorum attribuenda sunt. Et ab hoc quidem genere quod omnia complectitur quaecunque justo modo finiuntur nullo pacto utile et commodum sejungi possunt: quaecunque enim dum aliis rebus adhibentur justum modum servant ea utilia sunt. Quare si partes *χρησταί* dicuntur id sane probat partium bonitatem prioris generis vocabulis designari. Id quod fit Polit. p. 308 C: *εἴ τίς που τῶν συνθετικῶν ἐπιστημῶν πρᾶγμα ὁτιοῦν τῶν αὑτῆς ἔργων, κἂν ᾖ τὸ φαυλότατον, ἑκοῦσα ἐκ μοχθηρῶν καὶ χρηστῶν τινῶν ξυνίστησιν, ἢ πᾶσα ἐπιστήμη πανταχοῦ τὰ μὲν μοχθηρὰ εἰς δύναμιν ἀποβάλλει, τὰ δ᾽ ἐπιτήδεια καὶ τὰ χρηστὰ ἔλαβεν, ἐκ τούτων δὲ καὶ ὁμοίων καὶ ἀνομοίων ὄντων, πάντ᾽ εἰς ἓν αὐτὰ ξυνάγουσα, μίαν τινὰ δύναμιν καὶ ἰδέαν δημιουργεῖ.* Iam in eis quae sequuntur idem ad homines transfertur, qui ut probam societatem ineant apti debent et commodi esse: *οὐδ᾽ ἄρα ἡ κατὰ φύσιν ἀληθῶς οὖσα ἡμῖν πολιτικὴ μή ποτε ἐκ χρηστῶν καὶ κακῶν ἀνθρώπων ἑκοῦσα εἶναι συστήσεται πόλιν τινά κ. τ. λ.* Quibus in memoriam revocatur alius locus qui legitur Legg. IV p. 716 C: *τῷ μὲν ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον ὄντι μετρίῳ φίλον ἂν εἴη, τὰ δ᾽ ἄμετρα οὔτ᾽ ἀλλήλοις οὔτε τοῖς ἐμμέτροις.* Neque hunc tantum locum ex legibus conferre debet qui rem penitus intellegere vult sed totum opus perlustrare in quo unice fere id agitur ut singulae omnes civitatis partes certo quodam modo finiantur et ita civitatem constituant quae congruentia partium tamquam optimo vinculo contineatur. Nam ne omnia persequamur statim inde a III p. 691 probare studet auctor optimum esse civitatis statum ubi concordia cives inter se jungantur eamque ita effici ut suum cuique tribuatur. Quare cum duae omnino civitatis partes sint quarum altera imperat altera paret tum demum aliqua civitas formata erit si ab alteris ita imperatur ut qui parere debent id libenter faciant. Qualis civitas etsi non ab omnibus malis tamen ab eis tuta est, quae civium discordia in ipsius quasi sinu nascuntur. Neque aliter res se habet in libris quos de republica Plato scripsit. Nam quod in legibus optimum civitatis vinculum appellatur, moderationem partium dico, ea in republica justitia (*δικαιοσύνη*) vocatur. Quae cum in eo posita sit quod unusquisque non aliena sed sua negotia

gerit idque facit quod ipsi convenit, a justa moderatione non differt. Quare qui de justo dialogum scripsit cum ipse Platonem aemularetur ejusque similis haberi vellet sententiam ejus recte expressit p. 375 A: *ἐμοὶ μὲν τοίνυν δοκεῖ ἐν μὲν τῷ δέοντι καὶ τῷ καιρῷ ἕκαστα τούτων γιγνόμενα δίκαια εἶναι, ἐν δὲ τῷ μὴ δέοντι ἄδικα. Καλῶς γέ σοι δοκοῦν· ὁ μὲν ἄρα ἐν τῷ δέοντι ἕκαστα τούτων ποιῶν δίκαια ποιεῖ, ὁ δὲ μὴ ἐν τῷ δέοντι ἄδικα; Ναί.* Quibuscum conferenda sunt quae leguntur Rep. IV p. 443 D: *τὸ δέ γε ἀληθές, τοιοῦτον μέν τι ἦν, ὡς ἔοικεν, ἡ δικαιοσύνη, ἀλλ᾽ οὐ περὶ τὴν ἔξω πρᾶξιν τῶν αὑτοῦ, ἀλλὰ περὶ τὴν ἐντὸς ὡς ἀληθῶς, περὶ ἑαυτὸν καὶ τὰ ἑαυτοῦ, μὴ ἐάσαντα τἀλλότρια πράττειν ἕκαστον ἐν αὑτῷ μηδὲ πολυπραγμονεῖν πρὸς ἄλληλα τὰ ἐν τῇ ψυχῇ γένη, ἀλλὰ τῷ ὄντι τὰ οἰκεῖα εὖ θέμενον καὶ ἄρξαντα αὐτὸν αὑτοῦ καὶ κοσμήσαντα καὶ φίλον γενόμενον ἑαυτῷ καὶ ξυναρμόσαντα τρία ὄντα, ὥς περ ὅρους τρεῖς ἁρμονίας ἀτεχνῶς, νεάτης τε καὶ ὑπάτης καὶ μέσης, καὶ εἰ ἄλλα ἄττα μεταξὺ τυγχάνει ὄντα, πάντα ταῦτα ξυνδήσαντα καὶ παντάπασιν ἕνα γενόμενον ἐκ πολλῶν, σώφρονα καὶ ἡρμοσμένον κ. τ. λ.* In singulis igitur partibus vel hominis vel civitatis ubi *δικαιοσύνη* valet, perfectus ille et secum congruens status exsistit cui *σωφροσύνη* nomen est. Quam Platonem posuisse in partium congruentia et mutuo quasi amore etiam clarius demonstrant, quae paullo ante IV p. 442 D de eadem dicuntur: *σώφρονα οὐ τῇ φιλίᾳ καὶ ξυμφωνίᾳ τῇ αὐτῶν τούτων, ὅταν τό τε ἄρχον καὶ τὼ ἀρχομένω τὸ λογιστικὸν ὁμοδοξῶσι δεῖν ἄρχειν καὶ μὴ στασιάζωσιν αὐτῷ; Σωφροσύνη γοῦν, ἦ δ᾽ ὅς, οὐκ ἄλλο τί ἐστιν ἢ τοῦτο, πόλεώς τε καὶ ἰδιώτου.* Deinde cfr. p. 430 E: *καὶ ὥς γε ἐντεῦθεν ἰδεῖν, ξυμφωνίᾳ τινὶ καὶ ἁρμονίᾳ προςέοικε μᾶλλον ἢ τὰ πρότερον.* p. 432 A: *ὥστε ὀρθότατ᾽ ἂν φαῖμεν ταύτην τὴν ὁμόνοιαν σωφροσύνην εἶναι, χείρονός τε καὶ ἀμείνονος κατὰ φύσιν ξυμφωνίαν, ὁπότερον δεῖ ἄρχειν καὶ ἐν πόλει καὶ ἐν ἑνὶ ἑκάστῳ.* Neque quisquam jam dubitabit quin *σωφροσύνη* eadem putanda sit atque *συμμετρία.* Quare cum id quod *σῶφρον* dicitur ex eis constet, quae *δίκαια* ideoque *μέτρια* sunt, vel hinc consequitur eodem modo id quod *σύμμετρον* est ex partibus componi quae justo modo terminantur. Eandem igitur rationem apparuit obtinere inter *δίκαιον* et *σῶφρον* quam supra conjeci inter *μέτριον* et *σύμμετρον*

esse. Itaque libri de legibus qui optimam civitatem ita constituunt ut singula omnia μέτρια sint, specie tantum externa differunt a republica in qua civitatis fundamentum singulorum δικαιοσύνη habetur.

Quibus exemplis comparatis hoc certe profectum puto ut appareat unamquamque partem quae sua id est propria partis virtute excellat moderatam et totius fini aptam esse. Contra ipsum totum etsi plerumque videbatur tantummodo σύμμετρον esse tamen si ad summum virtutis gradum pervenit, non solum secum congruens et pulchrum sed etiam perfectum ac sibi sufficiens est. Ac vix puto quamquam in certo Platonis testimonio non nitor eum cogitasse harum quattuor notionum umquam unam a tribus ceteris ita separatum iri ut res quae una earum praedita sit, ceteris careat. Sed ne ex his concludamus priore bonorum genere partium virtutem posteriore totius praestantiam significari, prohibere videtur, quod loci exstant in quibus non partibus moderatio adscribitur neque ejusmodi toti quod et ipsum alius rei pars sit, sed tali cui difficile sit totum invenire ad quod pertineat. Et cum haud dubie plures loci sint, qui talem interpretibus difficultatem exhibeant tamen duos tantum afferam quibus tum maxime offendebar. Alter in ipso Philebo p. 65 B reperitur et supra a me cum nondum omnibus ad quaestionem solvendam subsidiis instructus essem obiter tantum tactus est. Ubi quia μετριότης i. e. moderatio cum congruentia ejusque Graeco vocabulo συμμετρία commutatur auctor utrumque vocabulum eadem notione accepisse videtur. Atque eodem modo in legibus optima civitas cujus partes omnes inter se congruunt media dicitur inter populare et unius imperium idioque moderata esse cfr. VI p. 756 E. Attamen difficultas quae videtur esse revera nulla est: nihil enim inde sequitur nisi eandem rem secum congruentem esse et moderatam. Quod sic quoque explicari potest quod eadem res hinc spectata secum congruere, illinc moderata tantum videtur esse. Veluti civitas illa optima dum per se consideratur congruentia et amore civium excellit, dum cum duabus pessimis civitatibus comparatur moderatione eis praestat. Deinde ipse Plato addit hanc civitatem nisi moderata prius fuerit nunquam secum congruam fore. Unde jure colligimus omnia quaecunque σύμμετρα sunt etiam moderata aliquo modo esse. Id quod minime mirabimur in perfecto homi-

nis statu qualis in Philebo describitur: homo enim cum natura ad communem cum ceteris vitam destinatus sit non sibi tantum sed etiam ceteris quibuscum vivit sufficere debet. Quare qui suis viribus fretus aliena ope non eget non debet ex solitaria vita laudem quaerere sed promere virtutem suam in aliorum salute adjuvanda. Neque tamen dubium est quin, qui ab omni parte perfectus est ut plane sibi sufficiat, sibi soli vivere nolit sed totus futurus sit in republica et civibus defendendis. Quae ex Platonis sententia disputata esse libri de republica probant ubi is qui *σώφρων* ideoque perfectus et secum congruens est propter hanc ipsam virtutem *δίκαιος* vocatur utpote qui ordini et institutis civitatis sese accommodet cfr. IV p. 441 D.: *μνημονευτέον ἄρα ἡμῖν ὅτι καὶ ἡμῶν ἕκαστος, ὅτου ἂν τὰ αὑτοῦ ἕκαστον τῶν ἐν αὑτῷ πράττῃ, οὗτος δίκαιός τε ἔσται καὶ τὰ αὑτοῦ πράττων.* Non igitur optimi hominis exemplar quod in Philebo proponitur ab omni parte esset imitandum si hominem repraesentaret qui summas opes quibus pollet in suam ipsius utilitatem converteret; requirerent enim omnes ut homo qui optimi hominis laudem mereri vult communi saluti potius quam suae consulat. Quam reprehensionem Plato effugit quod eidem homini non solum congruentiam sed etiam moderationem attribuit et has duas virtutes tam arte copulavit ut ex illius sententia separari eas non posse appareat: qui enim *σώφρων* i. e. *σύμμετρος* erit idem non poterit non esse *δίκαιος* sive *μέτριος*. Quare illo legum loco, quem attuli omnino negatur fieri posse ut civitas quae non medium inter duas extremas locum obtineat ideoque moderata sit umquam per omnes partes ea aequabilitate et congruentia ordinetur quae tamquam summum in civitate instituenda proponitur. Neque civitatis moderationem Plato aliter intellectam voluit quam unius cujusque hominis: nam ut homines erga homines ita civitates erga civitates moderatione utuntur ne ipsae dum alias injuriis lacessunt, commercio earum sese privent. Id quod in libris de legibus nusquam scriptum invenies. Cum vero supra ostenderim justitiam quae in libris de republica vocatur respondere moderationi quae in legibus requiritur, idem de moderatione valebit quod de justitia dicitur Rep. IV p. 442 E.: *οἷον εἰ δέοι ἡμᾶς ἀνομολογεῖσθαι περί τε ἐκείνης τῆς πόλεως καὶ τοῦ ἐκείνῃ ὁμοίως πεφυκότος τε καὶ τε-*

θραμμένου ἀνδρός, εἰ δοκεῖ ἂν παρακαταθήκην χρυσίου ἢ ἀργυρίου δεξάμενος ὁ τοιοῦτος ἀποστερῆσαι, τίν' ἂν οἴει οἰηθῆναι τοῦτο αὐτὸν δρᾶσαι μᾶλλον ἢ ὅσοι μὴ τοιοῦτοι; Οὐδέν' ἄν, ἔφη. Οὐκοῦν καὶ ἱεροσυλιῶν καὶ κλοπῶν καὶ προδοσιῶν, ἢ ἰδίᾳ ἑταίρων ἢ δημοσίᾳ πόλεων, ἐκτὸς ἂν οὗτος εἴη; Ἐκτός. Καὶ μὴν οὐδ' ὁπωςτιοῦν ἄπιστος ἢ κατὰ ὅρκους ἢ κατὰ τὰς ἄλλας ὁμολογίας. Πῶς γὰρ ἄν; Μοιχεῖαι μὴν καὶ γονέων ἀμέλειαι καὶ θεῶν ἀθεραπευσίαι παντὶ ἄλλῳ μᾶλλον ἢ τῷ τοιούτῳ προσήκουσιν. Παντὶ μέντοι, ἔφη, Ουκοῦν τούτων πάντων αἴτιον, ὅτι αὐτοῦ τῶν ἐν αὐτῷ ἕκαστον τὰ αὑτοῦ πράττει ἀρχῆς τε πέρι καὶ τοῦ ἄρχεσθαι; Τοῦτο μὲν οὖν, καὶ οὐδὲν ἄλλο. Ἔτι τι οὖν ἕτερον ζητεῖς δικαιοσύνην εἶναι ἢ ταύτην τὴν δύναμιν, ἣ τοὺς τοιούτους ἄνδρας τε παρέχεται καὶ πόλεις; Μὰ Δία, ἦ δ' ὅς, οὐκ ἔγωγε. Civitas igitur quae partes moderatas ideoque congruentes habet et ipsa ita moderata erit ut neque suum neque alienum jus umquam excedat. Cujusmodi civitates si plures reperiuntur eae totius tamquam partes sunt quippe quae communi juris vinculo teneantur. Ac licet una tantum civitas sit quae tali erga alias moderatione sive justitia utatur, tamen haec quae totius pars esse nequit ita comparata est ut si quando similes exstiterint pars aliqua possit esse. Itaque tantum abest ut haec duo quae attuli exempla contra meam opinionem faciant ut accurate tractata eam confirment: id ipsum enim erat quod probare volui congruentiam ubi commemoretur totius alicujus praestantiam, moderationem partis virtutem significare. — Atque duplex hoc bonorum genus etiam ita distingui potest ut alterum dicatur alias res conservare eisque utile esse, alterum sese ipsum sustentare. Quae propterea addidi ut intelligatur ab hoc duplici bonorum genere non alienam esse eam boni definitionem quam Plato protulit Rep. X p. 608 E.: τὸ μὲν ἀπολλύον καὶ διαφθεῖρον πᾶν τὸ κακὸν εἶναι, τὸ δὲ σῶζον καὶ ὠφελοῦν τὸ ἀγαθόν. Neque altera boni definitio qua ponitur id esse quod ab omnibus expetatur non patitur duplicem bonorum formam: aut enim bona sunt quae propter se expetuntur aut quae propter ea quae ex ipsis oriuntur, cfr. Phil. p. 20 D.: τόδε γε μήν, ὡς οἶμαι, περὶ αὐτοῦ (sc. τοῦ ἀγαθοῦ) ἀναγκαιότατον εἶναι λέγειν, ὡς πᾶν τὸ γιγνῶσκον αὐτὸ θηρεύει καὶ ἐφίεται βουλόμενον ἑλεῖν καὶ περὶ αὐτὸ κτήσασθαι, καὶ

τῶν ἄλλων οὐδὲν φροντίζει πλὴν τῶν ἀποτελουμένων ἅμα ἀγαθοῖς. Quibus quominus statuamus duplex bonorum genus significari non impedit quod bona distinguntur et ea quibus illa gignuntur: est enim eadem inconstantia quae non raro in Phil. reperitur veluti voluptates nulla distinctione tum moderatae tum modi expertes dicuntur cfr. p. 65 D.: οἶμαι γὰρ ἡδονῆς μὲν καὶ περιχαρείας οὐδὲν τῶν ὄντων πεφυκὸς ἀμετρότερον εὑρεῖν ἄν τινα quasi verbum nullum fecisset de puris illis et moderatis voluptatibus. Eadem igitur ratione si verba tantum spectamus ipse auctor secum pugnat qui modo negat bona esse quae non sua causa expetuntur modo mentem artesque et voluptates puras in bonis numeret, quippe quas constet idcirco tantum bona esse quod ad beatum hominis statum aliquid conferunt. Neque ipsius Platonis testimonio caremus cum ea quae propter ipsorum effectum expetuntur in tertio bonorum genere diserte referantur Rep. II p. 357 C.: τρίτον δὲ ὁρᾷς τι, ἔφη, εἶδος ἀγαθοῦ, ἐν ᾧ τὸ γυμνάζεσθαι καὶ τὸ κάμνοντα ἰατρεύεσθαι καὶ ἰάτρευσίς τε καὶ ὁ ἄλλος χρηματισμός; ταῦτα γὰρ ἐπίπονα φαῖμεν ἄν, ὠφελεῖν δὲ ἡμᾶς, καὶ αὐτὰ μὲν ἑαυτῶν ἕνεκα οὐκ ἂν δεξαίμεθα ἔχειν, τῶν δὲ μισθῶν τε χάριν καὶ τῶν ἄλλων ὅσα γίγνεται ἀπ᾽ αὐτῶν. Jam ei quae in Philebi exordio proponitur definitioni qua bona distinguuntur quae sua causa et quae ob effectum expetuntur respondeat necesse est duplex quod in fine commemoratur bonorum genus. Ac sane sua causa expetuntur quaecunque secum congruunt et perfecta sunt, ob effectum autem quaecunque justo modo terminantur.

Jam postquam quae duo bonorum genera sint intelleximus ad initium disputationis tandem aliquando redeundum est. Quam inde exorsi sumus quod nesciebamus quomodo primo bonorum generi sempiterna natura jure adscriberetur. Itaque ad eam quaestionem solvendam prius necessarium duximus definire quale sit illud bonorum genus. Quo facto iterum quaeritur quemadmodum eis quae moderata sunt ἀΐδιος φύσις jure tribuatur. Atque in hac quaestione tractanda si non harriolari sed argumentari volumus non quod aliquando Plato aeternum nominavit conjiciemus hic quoque ab eo significatum esse, sed ante omnia quaeremus num in ipso sermone aliquo loco quod moderatum est aeternum dicatur. Quod cum negandum sit meminisse oportet

moderata illa esse bonorum quoddam genus: consentaneum igitur est videre an aliquo loco sempiterna illa natura bonis attribuatur. Et quamquam hoc ipsum aeternae naturae vocabulum ne bonis quidem generatim tribuitur tamen sunt loci qui unius eorum formae talem naturam esse demonstrant ut vocabulo illo digna sit. Veluti p. 32 D bona discernuntur quae semper et sua natura bona sunt et ea quae cum non sua natura bona sint temporibus mutantur. Cujus loci haec verba sunt: *πότερον ὅλον ἐστὶ τὸ γένος ἀσπαστόν, ἢ τοῦτο μὲν ἑτέρῳ τινὶ τῶν προειρημένων δοτέον ἡμῖν γενῶν, ἡδονῇ δὲ καὶ λύπῃ καθά περ θερμῷ καὶ ψυχρῷ καὶ πᾶσι τοῖς τοιούτοις, τοτὲ μὲν ἀσπαστέον αὐτά, τοτὲ δὲ οὐκ ἀσπαστέον, ὡς ἀγαθὰ μὲν οὐκ ὄντα, ἐνίοτε δὲ καὶ ἔνια δεχόμενα τὴν τῶν ἀγαθῶν ἔστιν ὅτε φύσιν.* Quibuscum conferenda sunt quae initio disputationis Socrates disseruit in voluptate ostendens verum bonum non situm esse cum voluptates non omnes nec semper bonae sint cfr. p. 12 C sqq. Eodemque modo distinguitur inter ea bona quae semper et sua natura bona sunt et ea quae nunquam bona fierent nisi illa accederent Gorg. p. 468 A. Men. p. 88 D. Euthyd. p. 281 D. Qui loci etsi sempiternitatem aliquam haud dubie indicant tamen verbo eam non exprimunt. Id quod non desiderabis in Hippia majore ubi leguntur p. 292 E: *ἀλλὰ μέντοι τόδε τὸ καλὸν εἶναι Ἱππίας ἔφη· καί τοι ἐγὼ αὐτὸν ἠρώτων οὕτως ὥς περ σὺ ἐμέ, ὃ πᾶσι καλὸν καὶ ἀεί ἐστι. Πῶς οὖν σὺ φῄς; οὐκ ἀχθέσει ἂν εἴπω ταῦτα; ΊΠ. εὖ γ᾽ οὖν οἶδα, ὦ Σώκρατες, ὅτι πᾶσι καλὸν τοῦτ᾽ ἐστὶν ὃ ἐγὼ εἶπον, καὶ δόξει. ΣΩ· ἦ καὶ ἔσται; φήσει· ἀεὶ γάρ που καλὸν τό γε καλόν·* hic enim ubi de discriminis ratione agitur nil interest sive de bonis sive de pulchris discrimen illud statuitur. Itaque praeterea afferam Legg. IV p. 706 A: *νῦν οὖν ὑμεῖς μοι τῆς παρούσης νομοθεσίας ἀντιφυλάξατε ἑπόμενοι ἐὰν ἄρα τι μὴ πρὸς ἀρετὴν τεῖνον ἢ πρὸς ἀρετῆς μόριον νομοθετῶ· τοῦτον γὰρ δὴ τίθεσθαι τὸν νόμον ὀρθῶς ὑποτίθεμαι μόνον, ὃς ἂν δίκην τοξότου ἑκάστοτε στοχάζηται τούτου ὅτῳ ἂν συνεχῶς τούτων τῶν ἀεὶ καλῶν τι ξυνέπηται μόνῳ, τὰ δὲ ἄλλα ξύμπαντα παραλείπῃ, ἐάν τέ τις πλοῦτος ἐάν τε ἄρα τι τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων ὂν τυγχάνῃ ἄνευ τῶν προειρημένων.* In quibus quod ea quae semper pulchra sunt *τὰ ἀεὶ καλά* vocantur aperte eorum sempi-

terna natura declaratur. Jam vero quaeritur utrum moderatum quod dicitur semper putetur bonum esse et tale propter quod cetera bona fiant, necne. Atqui fatendum id nobis est nisi omnem prioris disputationis fructum amittere volumus: longiore enim argumentatione profecimus tandem ut constaret quidquid moderati reperiatur pro parte aliqua bona habendum esse. Itaque qualiscunque ceterum ejus natura est bonitatem aliquam semper moderatio significat: ubicunque enim moderatio aliqua apparet id bonum esse putatur. Neque scriptoris sententia ea est res omnes moderatas veluti mentem ac puras voluptates quamquam semper bonae sint simul aeternae naturae participes esse: nam neque mens neque voluptates bonae sunt nisi quatenus moderatae. Itaque solum quod moderatum est ipsum et sua natura dicitur aeternitatis particeps esse. Jam si supra non dubitavimus eis quae semper pulchra sunt sempiternam naturam attribuere non recusabimus quominus idem in moderatis faciamus. Sed ut concedantur haec objiciet mihi tamen aliquis non esse cur sempiterna natura si talis est, qualem volo esse priori generi potius quam alteri tribuatur. Nonne enim, inquiet, ipse nobis probare voluisti quodcunque secum congruit et perfectum est idem etiam bonum esse? An putas ejusmodi totum aliquod quod ex moderatis et bonis constat non semper esse bonum? Quem verissime judicare puto. Quaerendum igitur est utrum illa verba ita constructa sint, ut ad utrumque genus referri possint necne. At quomodo omnino verba haec construuntur? Ita enim ut vulgo fit ea construi non posse in totius disputationis principio commemoravi. Quare alia via ingrediendum est. In illa autem construendi ratione maxime offensioni erat quod περὶ praepositio ad μέτρον addita plane supervacanea esset: plana enim et perspicua omnia essent, si περὶ omitteretur. Contra si additur ea condicione ut ἐστί cogitando suppleatur, non loquentis sed balbutientis verba sunt. Aut igitur delendum est περὶ aut aliud verbum atque εἶναι inveniundum quocum illud facilius construatur. Quod si quaerimus videre debemus ubi aliquid abundet. Id quod factum esse in sententia illa relativa ὁπόσα — φύσιν statim animadvertitur: vix enim opus erat ut τοιαῦτα adderetur cum quo ὁπόσα pertineat nemini dubium sit. Contra plena et conclusa sententia relativa est si verba

ὁπόσα — *νομίζειν* per se spectamus. Itaque verbum quod ad *περὶ μέτρον* desideramus latere videtur in illis *τὴν ἀΐδιον ᾑρῆσθαι φύσιν*. Quae si a relativo soluta cum sententia primaria conjungimus accusativus cum infinitivo constructus locum habet. Neque in eo offensio est, quod post dicendi verbum *φράζων* primum *ὡς* infertur ac deinde in opposita sententiae parte accusativus cum infinitivo ponitur: quamquam enim ex ipsius Platonis libris exemplum afferre non possum eodem tamen modo loquutus est Herodotus I, 70: *αὐτοὶ δὲ Σάμιοι λέγουσι ὡς ἐπεί τε ὑστέρησαν οἱ ἄγοντες τῶν Λακεδαιμονίων τὸν κρητῆρα, ἐπυνθάνοντο δὲ Σάρδις τε καὶ Κροῖσον ἡλωκέναι, ἀπέδοντο τὸν κρητῆρα ἐν Σάμῳ, ἰδιώτας δὲ ἄνδρας πριαμένους ἀναθεῖναί μιν ἐς τὸ Ἡραῖον*. Qua difficultate sublata alia restat quod *ᾑρῆσθαι* passivo genere accipiendum est. Quo genere cum constet *αἱρεῖν* semper significare aliquid quod eligitur id genus huic loco non aptum esse apparet. Itaque de conjectura aliqua cogitandum est. Neque lenior invenietur quam quae a Badhamio proposita est scribendum esse *ηὑρῆσθαι*. Tum igitur hoc loco dicitur primum apud modum et moderatum et omnia quae hujus generis sunt sempiterna natura reperta esse. Quoniam vero ut haec verba ita construeremus potissimum nos adduxit praepositio *περὶ* eadem necessitate cogimur ut sequentia conjungamus cum illis *τὴν ἀΐδιον ηὑρῆσθαι φύσιν*. Quod etiam propter sententiam necessarium esse supra jam vidimus. Neque quominus ita faciamus in verbis quicquam obstat: nam illa *ὁπόσα τῆς γενεᾶς αὖ ταύτης ἐστίν* nihil significant nisi „quaecunque hujus generis sunt". Et velim in hac opinione assentientem habuerim Trendelenburgium. Cui tamen dissentio quod generationis et sensibilium rerum notionem vocabulo *γενεά* adesse conjecit. Atqui in Philebo ipso ejus usus nullum vestigium apparet neque quantum ex lexicis cognovi alias reperitur. Nam ut in Philebo subsistam statim in proximis diversa et solita significatione *γενεά* occurrit: summo enim consensu p. 66 D libri tradunt: *ἕκτῃ δ' ἐν γενεᾷ, φησὶν Ὀρφεύς, καταπαύσατε κόσμον ἀοιδῆς· ἀτὰρ κινδυνεύει καὶ ὁ ἡμέτερος λόγος ἐν ἕκτῃ καταπεπαυμένος εἶναι κρίσει*. In quibus manifesto *γενεά* nihil est nisi genus. Neque alia subest significatio p. 52 D ubi quod in libris traditur *γένους* a Badhamio rectissime mutatum est in *γενεᾶς*.

Sed tantum abest ut nova haec significatio ab alterutro loco postuletur ut a priore illo repudietur. Qui quoniam de sexto genere loquitur ponit quinque genera praecessisse. Attamen quis tam audax fuerit interpres ut quinque horum generum unicuique imprimere velit generationis notam? Quo jure enim mens numerari posset in eis quae generantur? Id tantum a Platonis sententia abhorret ut ne a stultissimo quidem Platonis imitatore qualem Philebi auctorem Schaarschmidius intellegit tale facinus commissum esse imaginari possimus. Ac tantum abest ut in ipsis de quibus tractamus verbis illam Trendelenburgii interpretationem quicquam suadeat ut ad *γενεᾶς* appositum *ταύτης* aliud praecessisse genus indicet. Priori autem generi quod ex Trendelenburgii sententia ideas sempiternas complectitur vocabulum *γενεᾶς* minime conveniret siquidem de generatione interpretandum esset. Neque nostram si sequimur explicationem intellegitur cur posterius genus potius quam prius generari dicatur. Quare via ad simplicem interpretationem munita vertemus „quaecunque hujus generis sunt". Nam *αὖ* quod dicitur frequentissimo usu hoc genus tamquam diversum a priore distinguit. Utrique igitur generi sempiterna natura tribuitur i. e. quae utriusque generis sunt semper esse bona dicuntur. Quam interpretationem et si necessariam esse demonstravi tamen difficultates non reticendae sunt quibus ea laborare videtur. Et primum quidem mihi objicietur significationem quam in verbis *τὴν ἀΐδιον φύσιν* inesse volo ex ipso loco colligi non posse. At si voluptas dicitur neque primum neque secundum bonum esse eique sententiae *ἀλλά* additur unusquisque expectat aliquid nominatum iri quod bonam naturam habeat; quod si ei non bona sed sempiterna natura tribuitur unusquisque de semper bona natura cogitabit. Nam si id non faceret non existeret ea utriusque enuntiati oppositio quae particula *ἀλλά* aperte indicatur. Cui illud argumentum accedit quod jam supra attuli: qui enim Philebum attente legerit memor erit cur initio disputationis voluptas ipsum bonum esse negetur. Id quod idcirco factum esse constat quia voluptas non semper bona esse videbatur. Haec igitur difficultas facile sublata est. Difficilior autem oritur quaestio num quod secundum meam interpretationem haec verba significant cum ceteris sermonis partibus conveniat. Non enim si ita ut volo

locum explicamus primum bonorum genus summum et praestantissimum vocatur, sed primo a sermocinantibus inventum esse dicitur. Neque causa esset cur alterum genus priore multo praestantius secundo loco nominaretur nisi post illud inventum esse ita significaretur. Itaque quaeritur num in ipso sermone haec duo bona tali ordine quali his sumitur inter se sequantur. Atque ad id quod ante omnia quaeritur quo loco utrique generi sempiterna natura tribuatur jam supra responsum est cum negaretur usquam in Philebo sempiternae naturae mentionem fieri. Eodem autem loco jam vidimus etsi ipsa sempiterna natura verbo non nominetur tamen commemorari quaedam bona quibus illa concedenda sit. Itaque quaeritur utrum in his Philebi auctor modum et moderationem rettulerit necne. Et hic quoque adversa fortuna accidit ut diserte auctor id nusquam indicaverit. Quare verendum esset ut meam bonorum explicationem cuiquam probem nisi certissima ejus argumenta ex rebus et sententiis peterentur. In quibus proferendis exordiamur ab altero genere. De quo quin sermo sit inde a pagina 60 C ad p. 64 B nemini potest dubium esse: nullus enim alius exstat locus qui universum illud genus complectatur. Hic vero summum bonum dicitur esse *ἱκανόν* p. 60 C: *τέλεον* p. 61 A idemque pro pulchro et congruente habendum esse colligitur ex p. 64 A et E. Neque omittendum est quomodo illo loco his quattuor notionibus auctor utatur. Nimirum eas tamquam normas adhibet ad summum humanum bonum constituendum: cogitantur enim ut apparet generales esse formae quae ubicunque ex aliqua re elucent eam pro summo aliquo bono habendum esse ostendunt. Iam vero quid aliud requiritur ut sempiternam naturam habere recte dicantur nisi ut semper et ubique bona sint ideoque efficiant ut alia quibus adsunt bona fiant. Illo autem loco ponendum est quattuor illa semper bona esse: nam si non essent semper et sua natura bona homo qui ad eorum exemplum conformatus est ne ipse quidem bonus esset. Verum enim vero est ille bonus quia perfectus et sibi sufficiens congruens secum et pulcher est: ergo hae quattuor notiones significant quod semper et sua natura bonum est cum ipse homo nec bonus nec malus sit. Qua oppositione adducor ut sempiternam illorum naturam etsi non nominatam tamen re et sententia

significatam putem. Sed id quod congruens secum et perfectum est non unum esse et solum bonum quamquam optimum est jam supra intelleximus. Veluti falleremur si putaremus singula quae ad mixtum genus pertinent non esse bona quod eis congruens secum et perfectus status non tribuatur cf. p. 25 E sqq. Eodemque modo aliquid boni inesse dicitur in voluptatum eo genere quod purum nominatur. Denique bona sunt quaecunque mentis genera exstant. Qua ratione igitur commotus auctor haec tria in bonis numeravit? Et cur voluptates impuras rejecit quominus in bonorum coetum admitterentur, mentem autem et omnes artes in eundem recipiens bonas judicavit? Ac videtur necesse esse cum tria bona sint quae genere inter se vel maxime differunt, quartum aliquod exstare quod cum sua natura et semper bonum tum his tribus commune sit. Iam in voluptatibus satis patet impuras a bonorum numero removeri puras autem in eundem acciri quoniam modus qui in illis desideratur his adest. Denique si in mentis generibus quaerimus quae omnibus laus aequaliter tribuenda sit propter quam nullum a bonis excludatur non veritatem neque constantiam sed moderationem inveniemus. Id quod de artibus ac disciplinis inferioribus statim unusquisque concedet: non enim propter veritatem quae illis cognoscitur sed propter opera quae conficiuntur bonae et utiles existimantur. Contra mentis purae et superiorum artium summa laus in veritate saepius ponitur. Praesertim cf. p. 57 D et p. 58. Atqui ipse Socrates p. 62 B declarat solam veritatem non utilem esse homini qui dialectica instructus ceterarum artium rudis sit. Cujus condicio tantum abest ut perfecta sit ut Protarchus eam ridiculam appellet. Quare requiritur ut qui perfectus esse homo vult ceterarum quoque artium peritus sit. Has vero artes ipsas et suo arbitrio utentes non semper utiles esse ex eis apparet quae paullo post Protarchus dicit: *οὔκουν ἔγωγε οἶδα, ὦ Σώκρατες, ὅ τί τις ἂν βλάπτοιτο πάσας λαβὼν τὰς ἄλλας ἐπιστήμας, ἔχων τὰς πρώτας.* Quibus certe significatur superiorum artium imperio opus esse quo ceterarum liber et caecus impetus regatur. Quodsi supra artes superiores inutiles videbantur esse nisi inferioribus adjunctis, hic vero magna illarum utilitas in moderatione ponitur quam ceteris adhibent conclusio inde fit solam et omnem illarum utilitatem non in eo quod

veritatem cognoscant cerni sed quod cognita veritate quasi norma utantur ad ceteras moderandas. Accedit aliud: summa enim et purissima mentis pars modo *νοῦς* modo *φρόνησις* vocatur ut difficile sit quod sentimus inter utrumque discrimen ex verbis demonstrare. Iam *φρόνησις* illa ubi p. 61 C cum voluptate miscetur similis dicitur esse aquae qua vinum temperatur. Quae comparatio inanis esset nisi voluptatem indicaret mentis vi intra justos fines coerceri. Nunc igitur duobus exemplis constat mentis virtutem sive bonitatem in eo sitam esse quod illa aliis rebus cum ceteris artibus tum voluptatibus moderatur. Quibus tertium additur: nam p. 28 C sqq. mens divina quam optimam esse constat non celebratur propter veritatem cujus particeps est, sed propter justum modum quo utitur in hoc mundo constituendo et gubernando. Atque similes ejus perhibetur mens humana esse cujus propria virtus p. 30 B non in cognitione veritatis sed in rerum moderatione ponitur. Si quis igitur quaesierit cur mens ejusque varia genera omnia in bonis numerentur respondebimus propter moderationem id fieri quam nisi ipsa in se gererent non aliis rebus impertirent. *)

---

*) Hic ubi de mentis vi ac natura agitur nolo omittere quod ad artium distributionem quae in Philebo proponitur melius intellegendam aliquid confert. Badhamius enim in epistola quam de legibus scripsit p. II corrupta putat quae p. 58 A: *δῆλον ὅτι ἡ πᾶσαν τήν γε νῦν λεγομένην γνοίη.* Quare ipse Thompsonum ad quem epistola illa data est laudat quod locum sic emendaverit: *δῆλον ὅτι πᾶς ἂν τήν γε νῦν λ. γν.* At quamquam ferri potest tamen non necessaria est haec conjectura: dialectica enim quod eorum quae ceteris artibus tractantur veram naturam perspectam habet has artes ipsas perspectas habere dicitur. Quare his verbis idem significatur quod in Rep. VII p. 537 sic exprimitur: *μετὰ δὴ τοῦτον τὸν χρόνον, ἦν δ' ἐγώ, ἐκ τῶν εἴκοσιν ἐτῶν οἱ προκριθέντες τιμάς τε μείζους τῶν ἄλλων οἴσονται, τά τε χύδην μαθήματα παισὶν ἐν τῇ παιδείᾳ γενόμενα τούτοις συνακτέον εἰς σύνοψιν οἰκειότητος ἀλλήλων τῶν μαθημάτων καὶ τῆς τοῦ ὄντος φύσεως. Μόνη γοῦν, εἶπεν, ἡ τοιαύτη μάθησις βέβαιος ἐν οἷς ἂν ἐγγένηται. Καὶ μεγίστη γε, ἦν δ' ἐγώ, πεῖρα διαλεκτικῆς φύσεως καὶ μή· ὁ μὲν γὰρ συνοπτικὸς διαλεκτικός, ὁ δὲ μὴ οὔ.* Quo loco quis non videt opponi inter se ceteras artes quae adolescentium animis notitias multas et scientias praebent (*τὰ μαθήματα*) et dialecticam quae illis collectis et in uno conspectu positis veram rerum naturam perspicit. Atque eadem oppositio postea fit ubi qui *μόνιμοι ἐν μαθήμασι* sunt digni dicuntur qui

Itaque satis firmis argumentis comprobatum esse censeo quod supra posui non veritatem neque constantiam sed moderationem causam esse cur mens in bonis numeretur. Iam si voluptates puras assumimus duo jam reperta sunt idcirco bona esse quia modum aut habent aut tribuunt. Quaeritur igitur cur tertium genus quod ea quae ex fine et infinito mixta sunt continet bonum existimetur esse. Id quod vix pluribus exponendum erit: non enim quod ex partibus constant congruentibus neque quod ipsa sibi sufficiunt bona illa existimantur sed quod ipsa aliis rebus apta sunt (*τἀναντία διαφόρως ἔχοντα, σύμμετρα δὲ καὶ σύμφωνα ἐνθεῖσα ἀριθμὸν ἀπεργάζεται*). Ita in corpore humano partium omnium aequabilis et congruens status sanitatem efficit, in musicis ex sonorum congruentia harmonia oritur, ex frigore et calore recte temperatis varia et per annum egregie disposita tempora. Addit deinde alia permulta superesse veluti in corpore pulchritudinem et robur in animis autem praestantiora quae libidinibus lege et ordine domitis nascantur. Quibus exemplis omnibus commune est quod res describuntur quae ex fine et infinito temperatae aliis congruunt nulla vero quae ex partibus constat moderatis. Nam neque sanitas neque harmonia rem designat quae ex partibus composita secum congruit. Deinde quamquam tamquam bonum laudatur quod libidinibus nimiis modus adhibetur, tamen perfectus ille status, in quo ipse animus secum congruit quoniam voluptates moderatae non invitae mentis imperio parent, ne verbo quidem tangitur. Quibus omnibus comprehensis non temere concluserim hoc loco non agi de eis bonis quae secum congruunt, sed de aptis illis et moderatis. — Tria igitur cum in Philebo afferantur bonorum genera quae bona esse putantur propter modum qui eis adest, satis perspicue opinor significatur moderationem ut quae communis

---

dialectica imbuantur. Quibus locis comparatis intelleges quid sibi velit illa quae in Philebo p. 55 D vocatur *ἡ περὶ τὰ μαθήματα ἐπιστήμη* quo nomine omnes praeter dialecticam artes sive purae sive impurae comprehenduntur ut quae non in universa rerum natura cognoscenda sed in singulis scientiis versentur. A quibus quomodo differat dialectica optime significatur illis *ἣ πᾶσαν τήν γε νῦν λ. γν.* Itaque tantum abest ut haec verba corrupta putem ut necessaria existimem quibus dialectica distinguatur ab ea quae dicitur *περὶ τὰ μαθήματα ἐπιστήμη*.

tribus illis bonitatis causa sit sua natura et semper bonam esse. Vel potius ut accurate loquar cum his exemplis allatis demonstretur moderationem esse causam aliquam bonitatis inde consectarium est quaecunque moderationem participant ideoque moderata sunt bona esse. Quod etiam sic exprimere licet ut dicas semper esse bona quae moderata sint neque boni naturam deponi dum ceteris mutatis justus modus servetur. Ut igitur voluptatis natura mutatur et inter bonum et malum fluctuat ita moderati perpetuo sibi constat ut vere dicatur sempiterna esse. Itaque quod supra de altero bonorum genere pronuntiavi idem de moderato pronuntiare licet sempiternam eorum naturam etsi non nominetur tamen aperte significari. Sed huc pervenimus quaerentes quo ordine utriusque boni natura inveniatur. Cui quaestioni respondere satis in promptu est: prius enim de mixto genere de mente de voluptate disputatur eaque bona inveniuntur esse quae moderata sunt, deinde ubi de vita ex voluptate et mente mixta agitur summum bonum intellegitur esse id quod congruens secum et perfectum sit. Antequam igitur ejus quod secum congruit et perfectum est sempiterna natura agnoscitur, clarissime ea in moderatis apparet. Itaque hactenus nihil obstat quin in fine libri sempiterna natura recte dicatur primum apud moderata deinde apud alterum bonorum genus reperta esse. — Sed in vulgus jam hic sermo notus est quod nihil fere simplex et planum praebet sed obscura plurima et talia de quibus ambigatur. Itaque hic quoque ubi jam omnia videntur clara esse necopinato oriuntur difficultates: nam cum sane illo loco de perfecti et secum congruentis aeterna natura disputetur postquam moderata semper esse bona jam cognitum est, tamen ille locus non solus et unus est ubi de illa alterius generis natura disseritur sed alter in quo idem fit jam in totius sermonis principio exstat. Leguntur enim p. 20 D haec: *ΣΩ. τὴν τἀγαθοῦ μοῖραν πότερον ἀνάγκη τέλεον ἢ μὴ τέλεον εἶναι; ΠΡΩ. πάντων δή που τελεώτατον, ὦ Σώκρατες. ΣΩ. τί δαί; ἱκανὸν τἀγαθόν; ΠΡΩ. πῶς γὰρ οὔ; καὶ πάντων γε εἰς τοῦτο διαφέρει τῶν ὄντων.* Iam si perfecti et sufficientis notae eae sunt quibus ipsum quod bonum est a ceteris omnibus distinguitur, sequitur quaecunque sufficientia et perfecta sunt ea esse bona. Quare si eadem via qua supra in concludendo pergimus efficitur sempiternam naturam

jam hic adscribi eis quae sufficientia et perfecta sunt. Sed sempiterna horum natura tum demum penitus intelligitur ubi ea cum aliis comparantur quae illa carent. Id quod altero loco supra ostendi factum esse cum certum aliquod summum bonum ad illorum normam formaretur. Quare aliquis suspicetur quod tale quid hic non fiat ideoque res non ab omni parte illustretur illo loco demum vere eam inventam esse ubi omnes obscuritates illustrantur. Atqui in proximis mens et voluptas negantur bonae esse quia non perfectae aut sufficientes sunt, mixta vita bona dicitur quia duo illa quae requiruntur habet. Victus igitur abibit quicunque his armis pro me pugnaverit. At potuit aliis uti: nam ut hic sempiterna natura tribuatur eis quae perfecta et sufficientia sunt, num eodem loco eadem congruentibus et pulchris tribuitur? Atqui in illa bonorum enumeratione non agitur de sufficiente et perfecto sed de universo ad quod utrumque pertinet genere. Neque quae illic generatim dicuntur huc referri possunt ubi sempiterna natura de singulis tantum praedicatur: nihil enim hic dicitur de toto aliquo quod ex partibus moderatis constat et cui quattuor illa vocabula eorumque consimilia aeque conveniunt. Quod quoniam illo loco ubi summum bonum humanum describitur revera fit, ad illum potius illa verba referenda esse contendemus. Nihil igitur per se obstat quin Socratem putemus vere dicere aeternam naturam primum repertam esse circa ea quae moderata sunt deinde circa congruentia secum et perfecta. Atqui ipse Socrates paucis interpellatur a Protarcho qui cum ille sententiam de moderatis eorumque sempiterna natura protulit, *φαίνεται γοῦν*, inquit, *ἐκ τῶν νῦν λεγομένων*. Quae quin significent modo dictis Socratis sententiam comprobari non potest dubium esse. Iam si praeterea videmus in proxime sequentibus bonorum aliquem ordinem ita institui ut praestantiora priorem locum obtineant, haud dubie relegamur ad eam disputationis partem in qua hunc esse justum bonorum ordinem apparuit. Quare haec bonorum enumeratio videtur consummare et comprehendere ea quae inde a p. 65 C exponuntur: nam cum illic in universum tantum constitutum sit, mentem propius quam voluptatem ad summi boni notionem accedere, hic jam distinctius tria nominantur bonorum genera quorum summum est purissima mentis pars secundum singulae disciplinae et artes in-

feriores tertium voluptates purae. Neque difficile videtur esse intellectu qualia cogitanda sint duo illa bona quae his tribus praemittuntur. Nimirum cum in eis quae antecedunt mentis ac voluptatis pretium ad summi boni notionem examinetur ita ut quod proxime ad eam appropinquat optimum dicatur esse, illa summi boni notio haud dubie putanda est cetera tria bona dignitate antecedere. Quare merito si quando bona enumerantur priorem quam tria illa locum obtinere videtur. Itaque ut primum illam bonorum enumerationem legimus statim eo inclinamus ut duo illa quae primo loco ponuntur bona cum summi boni notis aliquo modo cohaerere existimemus. Accedit quod moderatio et pulchritudo quae hic in primis bonis numerantur eaedem referuntur in summi boni notis. Attamen ultra haec similitudo non progreditur sed in eis quae dixi subsistit. Ita congruentia et moderatio quae eo loco de quo tractamus discernuntur p. 64 D inter se conjunguntur et tam arte quidem ut deinde p. 64 E conjunctae ambae opponantur pulchritudini. Id quod cum hoc loco minime convenire statim intellegitur: nam quae illic disjunguntur pulchritudo et congruentia hic uno genere copulantur. Atque possent haec excusari in auctore quem constat in sententiis exprimendis sibi non satis constare nisi pondus et vim inde acciperent quod aliae exstant utriusque loci differentiae quae ne in auctore quidem verborum neglegente excusantur. Quomodo enim qui legentium animos erudire non perturbare vult possit idem veritatem tertium duobus bonis adnumerare ac postea ubi eadem bona enumerat plane omittere? Denique aeterna natura non tantum circa congruum et pulchrum dicitur reperta esse sed circa totum illud genus ad quod praeter congruum et pulchrum etiam perfectum et sufficiens pertinent. Iam horum illo loco mentio nulla fit. Quare etiamsi congruum et pulchrum quod hic appellatur concederetur referri ad congruentiam et pulchritudinem quae illic nominantur tamen quoniam hic non de pulchro et congruente sed te toto ad quod pertinent genere sermo est id fieri plane nequit. Postquam igitur singula permulta esse dissimilia intelleximus quaeritur an his major qua uterque locus distinetur differentia significetur. Iam si a priore loco initium facimus p. 64 C docemur ei propositum esse ut causam qua summum bonum ut bonum sit efficitur ostendat.

Quae non simplex et una esse invenitur sed tripartita cum in moderatione sive congruentia in pulchritudine denique in veritate cernatur. Harum autem trium rationem investigantibus primo statim apparet pulchritudinem quae opponitur deformitati ad externam speciem referri: nam cur nisi ita ea interpretanda esset p. 66 A voluptates quae turpes sunt nocte et tenebris abscondendae dicerentur? Nimirum quae hominum oculos ne propter turpem quem praebent aspectum laedant fugere debent. Atque pulchritudo haec qua externa species imbuta est non nascitur nisi certa quadam ipsius cui adest rei natura et condicione: quodcunque enim externa specie pulchrum erit id natura ac veritate moderatum et congruum sit necesse est. Id quod auctor diserte indicat p. 64 E: *μετριότης γὰρ καὶ ξυμμετρία κάλλος δή που καὶ ἀρετὴ πανταχοῦ ξυμβαίνει γίγνεσθαι.* Moderatio igitur et congruentia semper pulchritudinem et virtutem gignunt. In quibus ne quis existimet pulchritudinem quod cum virtute conjungatur ad externam speciem non referri: nam ne virtus quidem in re quae per se quieta exstat conspicitur sed in ea quae agit et in rebus extra se positis efficax est. Restat igitur ut quae sit veritas explicemus. De qua quoniam hic nihil additur unde certa fiat conjectura, redeundum est ad p. 64 B. ubi paucis saltem ejus notio tangitur: dicitur enim illic neque fieri vere neque factum exstare quicquam nisi cui veritas admixta sit. At sic quoque ambigitur utra notione veritas accipienda sit: nam duas ejus esse notiones ex ipso Philebo apparet. Ita p. 51 B voluptates appellantur verae quae ipsam voluptatis naturam quam accuratissime exprimunt. Similiter autem cognitio alicujus rei vera dicitur esse si ejus naturam probe perspexit: certe enim ut uno argumento utar alia causa non est cur dialectica ejusque inventa veriora putentur esse ceteris. Atqui ipsa natura quam modo dixi a Platone cogitatur idea rei esse. Utroque igitur loco inter se collato facile intellegimus et res et cognitiones veras esse eas quae sempiternas illas species aliquo modo repraesentant. Quae veritatis interpretatio non quadrat in p. 48 E: *πλείους δέ γε οἱ μείζους καὶ καλλίους αὐτοὺς δοξάζουσι καὶ πάνθ᾽ ὅσα κατὰ τὸ σῶμα εἶναι διαφερόντως τῆς οὔσης αὐτοῖς ἀληθείας.* Non enim vani isti et superbi homines falluntur quod vera credunt esse quae cum generali corporis na-

tura pugnant sed propterea quod ei quod ipsi habent corpori opinione attribuunt quibus illud revera caret. Non igitur de idea corporis falsae sunt istorum opiniones sed de singulis corporibus. Itaque veritas ubi falsis istis opinionibus opponitur non intelligenda ea est, quae ideis sed quae rebus natura factis convenit. Agnoscendi igitur in Philebo quoque sunt duo illi veritatis tamquam gradus: vera enim primum dicuntur esse quaecunque in rebus exstant praeter opiniones nostras de eis fluctuantes, deinde quaecunque in rerum sensibilium mutatione manentia et sempiterna animadvertuntur. Quorum veritatis generum utrum a Philebi scriptore summo bono attribuatur ex re et sententia eruendum est cum ipsis verbis de hac re nihil significetur. Ponamus igitur veritatem summo bono adscribi quod cum boni idea congruat ejusque speciem ab omni parte expressam gerat. Ac sane summum bonum non esset summum bonum nisi ideam boni perfecte repraesentaret. Quare Socrates ubi ad summum bonum componendum aggreditur summa utitur cautione ne qua re ab idea boni aberret. Itaque cum ipsa idea nondum inventa sit singulas quibus bonum distinguitur notas studiose colligit easque ad mixtionem tamquam normas adhibet. Atque ita ille consequitur ut mixtione illa oriatur quod pulchrum et congruens perfectum et sufficiens sit. Quale quis dubitabit quin ad boni ideam tamquam ad exemplum conformatum sit. Mirum igitur profecto esset si confecta illa mixtione requireretur ad consummandam eam ut veritas ei admisceatur: veritatem enim posuimus esse eum alicujus rei statum in quo illa cum sua idea congruit. Talis autem veritas e summo illo bono quale constitutum est clarissime elucet ut non oporteat eandem praeterea admiscere. Accedit vero idque gravissimum quod illa veritas non rei perfectae admiscetur aut superficiei quasi color aliqui illinitur sed totius rei in quo exstruatur fundamentum est. Quare tantum abest ut in veritate illa admiscenda desinendum sit ut eadem debeat totius mixtionis principium esse. Atqui talia qualia indicavi absurda cogitur statuere quicunque veritatem eo de quo tractamus loco ad ideas et congruentem cum eis statum refert. Quare haec vocabuli interpretatio quamquam a clarissimis viris unice illi loco apta esse contenditur tamen relinquenda est. Itaque si supra vere statuimus

duo esse veritatis genera eorumque unum in hunc locum non quadrare vidimus necessario sequitur alteram significationem hic statuendam esse. Attamen cum ea quae experiendo cognoscimus semper pro dubiis habeantur ideoque non satis certum sit unde conclusio proficiscitur, haec quoque altera veritatis notio examinanda nobis est ut intellegamus utrum in hunc de quo agitur locum conveniat necne. Atque veritate admixta hoc certe efficitur ut sermo quem habuerunt tamquam mundus aliqui incorporeus exstet talis qui animatum corpus bene moderaturus sit. Non igitur summum bonum ubi describitur sufficiens et perfectum pulchrum et secum congruens esse Platoni idoneum exemplar visum est quod homines imitentur. Itaque quaeritur quid summo illi bono tam perfecto et egregio tamen deesse existimandum sit quominus neque fieri vere neque factum esse possit. Atqui duplex imitandi ratio cogitari potest cum homines id quod sibi propositum cernunt aut specie externa aut reapse imitentur. Specie autem externa summum bonum imitatur ille qui quamquam non est neque pulcher aut secum congruens neque perfectus aut sibi sufficiens tamen aliis hominibus videtur talis esse. Iam cum duae exstent imitandi rationes si constituere volumus utra hic locum habeat quaeratur oportet utra plus conferat ad hominem beatum et se ipso contentum reddendum: nam in hac re peculiaris summi boni vis cernitur quod summae felicitatis causa et origo est. Neque quisquam negabit multa inde alicui commoda existere quod ceteris quibuscum vivit perfecte bonus videtur esse; quin etiam omnibus eis fruetur quaecunque ex societate et civitatis communione hominibus bona et utilia eveniunt. Ac licet alii talem qui externorum bonorum copia abundet beatissimum perhibeant, tamen Platonis eam sententiam non fuisse tam certum ac manifestum est ut ne qui simulet quidem se Platonem esse tale quid contendere possit. Contra satis constat quam beatissimum fore eum quicunque pulchritudinem et congruentiam sufficientiam et perfectum omnino statum non specie tantum imitatus fuerit sed vividam illius imaginem in re ac natura expresserit. Et hic demum bonus vere et fiet et factus erit cum ille qui speciem boni sibi circumdare studet ne summa quidem contentione umquam efficiet ut bonus ipse aut fiat aut factus sit. Apparet igitur non satis esse

si perfectus et congruens status homini ad imitandum proponitur nisi simul additur eum non specie sed re ac veritate imitandum esse. Iam si eo loco de quo agitur veritas illis admisceri jubetur ut summi boni forma animatum corpus bene moderetur, apparet veritate designari id quod diximus non specie sed re ac veritate summum bonum imitandum esse. Ad quam sententiam confirmandam unum saltem locum afferre licet quo demonstretur eo ipso bonum a ceteris distingui quod cum illud nisi re ac veritate possessum erit vere utile nunquam futurum sit alia homines jam adjuvant ubi videntur eis adesse. Qui locus legitur Rep. VI p. 505 D. *τί δέ; τόδε οὐ φανερόν, ὡς δίκαια μὲν καὶ καλὰ πολλοὶ ἂν ἕλοιντο τὰ δοκοῦντα, κἂν μὴ ᾖ, ὅμως ταῦτα πράττειν· καὶ κεκτῆσθαι καὶ δοκεῖν, ἀγαθὰ δὲ οὐδενὶ ἔτι ἀρκεῖ τὰ δοκοῦντα κτᾶσθαι, ἀλλὰ τὰ ὄντα ζητοῦσι, τὴν δὲ δόξαν ἐνταῦθα ἤδη πᾶς ἀτιμάζει; Καὶ μάλα, ἔφη.* Atque ne cui negligentius rem instituisse videar addo Gorg. p. 527 B. *καὶ παντὸς μᾶλλον ἀνδρὶ μελετητέον οὐ τὸ δοκεῖν εἶναι ἀγαθὸν. ἀλλὰ τὸ εἶναι, καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ.* Iam talis veritas quominus summo bono admisceri dicatur nihil impedit: cum enim viderimus duplex esse imitationis genus profecto non supervacaneum est sed necessarium addere utrum hic intellegendum sit. Auget deinde hujus interpretationis probabilitatem quod huic demum veritati qualem ego intellego apte p. 65 C voluptas opponitur quae jactantia et gloriatione homines eo adducit ut jurisjurandi obliviscantur: voluptatibus enim pelliciuntur homines ut aliis cupiant placere; quapropter aliis ut placeant eisque videantur boni esse omnia faciunt et plurima pollicentur quae nunquam se praestituros esse sciunt. Quibus voluptatibus quae impudentissime saepe mentiuntur summum bonum tamquam verum non opponitur quia cum ipsius boni idea congruit sed propterea quod eum qui ipsius commodis frui vult non videri bonum sed revera esse jubet. Qualis veritas vanae gloriationi eodem modo opponitur Gorg. p. 525 A: *καὶ πάντα σκολιὰ ὑπὸ ψεύδους καὶ ἀλαζονείας καὶ οὐδὲν εὐθὺ διὰ τὸ ἄνευ ἀληθείας τεθράφθαι.* Quae veritas cum recte negatur voluptatibus adesse tum jure ac merito attribuitur menti quippe quae non solum cognitionis veritatem sed omnem omnino amplectatur. Quam veritatis notionem quoniam huc usque accommodavimus ad

ea quae p. 64 B leguntur, nunc nobis revertendum est ad p. 64 E unde ad notionem veritatis enucleandam digressi sumus. Quaestio igitur oritur utrum haec quae videtur intellegenda esse veritas recte in causis summi boni numeretur necne. Atque causas summi boni constat intelligendas esse quae efficiant ut illud hominibus utile et commodum sit. In quibus cum referantur pulchritudo et congruentia jam supra propriam earum vim explicui. Apparet autem congruentiam hominibus utilem esse quod singulas eorum partes inter se convenientes reddat et ita ab eis malis illos liberet quae discordia oriuntur. Cui congruentiae quodammodo similis est pulchritudo ut quae efficiat ut homo aliis jucundum praebeat adspectum eisque videatur amabilis et aptus esse quocum societatem ineant. Iam vero ex eis quae modo disputavi consectarium est neque pulchritudinem neque congruentiam umquam hominibus utilem fore nisi veritate imbutae fuerint: nam neque congruentia partium sua et propria utilitate homines afficiet si speciem tantum honestam discordiae qua intus omnia dissident praetenderit neque pulchritudo si falsa fuerit diuturna erit aut tam venusta ut optimi cujusque gratiam homini conciliet. Non igitur summum bonum suam vim omnem expromeret neque id quod debet utilissimum esset nisi pulchritudini et congruentiae veritas adderetur. Quare si duae illae et congruentia et pulchritudo summi boni causae jure nominantur tertia eis adnumeranda est veritas propter quam eae utiles fiunt. Atque veritas ea intelligenda est quam ego volo non illa qua quid cum ideis congruere dicitur. Nam ita si acceperimus vix poterimus explicare quomodo ea simul cum aliis pro summi boni causa habeatur: cum enim summum bonum id sit quod cum boni idea congruit veritas sane ultima bonitatis causa est. At si talem causam intellegimus veritas non tantum summa sed una et sola est praeter quam alia locum non habeat: certe enim pulchritudo et congruentia quae hic nominantur ex veritate illa oriuntur ut satis fuerit illam attulisse quippe quae horum fons et origo sit. Neque vero de summi boni origine eaque causa qua illud totum nascitur hic sermo est sed de rationibus quibus illud hominibus utile fit. Quod cum ex pulchritudine et congruentia tum inde apparet quod três illae quae causae vocantur boni ideam nobis repraesentare dicuntur.

Nam quid aliud cogitari potest unde boni idea ex summo bono colligatur quam modi ei quibus summum bonum utile sive bonum est? Hi enim quasi notae sunt quibus ipsa bonitas quae natura una eademque est in rebus manifestatur. Atqui num pro tali nota veritas si ea de congruente cum ideis statu intellegitur accipi potest? Immo nego ea ullam rationem significari qua summum bonum hominibus utile fit: quod enim proprium emolumentum inde homini unquam exstitit quod summum bonum cum idea boni congruit? Ego nullum exstitisse responderim. Itaque plurimis argumentis videtur confirmatum esse veritatem ab auctore eam intellegi quae speciem externam sibi contrariam habet neque illam qua quid cum idea aliqua convenire designatur.

Sed quo aptius in causis summi boni veritas refertur eo magis cavendum est ne summi boni causas cum ipsis bonis confundamus. Non enim tria illa ubi conjuncta dicuntur efficere ut summum bonum hominibus utile sit idcirco existimantur singula et per se hominibus utilitatem afferre ob quam dignae sint quae bonorum nomine insigniantur. Id quod adhuc ab hominibus doctis fere neglectum est cum in falsa illa veritatis interpretatione haererent: nam qui veritatem interpretati sunt de statu cum ideis congruente quique omnes ideas propter sempiternam earum naturam a Philebi auctore pro bonis haberi putarunt ei sane debebunt quaecunque res ad ideae similitudinem facta erit eam bonam existimare. Atque hac ratione cum veritas ubicunque exsistit boni causa fiat idemque de moderatione et pulchritudine valeat, nihil impedire videtur quin moderatio pulchritudo veritas in bonis numerentur. Atqui ne hic jam de aliis dicam quibus sumptis potius quam demonstratis illa ratiocinatio innititur relinquenda tamen est illa sententia ei qui in veritatis notione definienda mihi assentitur. Quam definitionem si sequimur ideoque veritatem tribuimus eis quae non specie sed reapse sunt, fieri non potest ut veritas per se pro bona habeatur: non enim boni magis quam mali causa est. Nam ut melius habetur quod revera quam quod specie tantum bonum est ita pejus quod revera quam quod specie malum. Qui igitur veritatem in bonorum numero habent eos eodem modo refutare licet quo Socrates Philebum refutat p. 28 A. Qui cum censuisset infinitatem esse causam qua voluptas summum

bonum fieret Socrates respondit eandem infinitatem efficere ut dolor extremum malum sit. Unde vere concluditur bonitatem in infinita natura non sitam esse. Itaque quoniam veritas per se bona non est ne mens quidem propter veritatem bona esse putabitur; at cum veritas si cui adest ejus bonitatem augeat mens quoque quae alias ob causas jam bona est propter veritatem quae accedit melior fit. Quare inde quod p. 65 D mens summo bono similior dicitur esse propter veritatem qua excellit non consequitur mentem quia vera est etiam bonam esse. Quod igitur jam supra alias ob causas opinatus sum mentis propriam virtutem in moderatione cerni id nunc novo argumento confirmatum est. Iam si de veritate constat eam non pro bono sed pro summi boni aliqua causa habendam esse idem dicendum est de moderatione et pulchritudine. Quae sententia eo confirmatur quod ipse auctor ne verbo quidem significavit se hic de bonis disputare sed diserte pronunciavit se hic causas afferre cur summum bonum ab hominibus expetatur cfr. p. 64 C: τί δῆτα ἐν τῇ ξυμμίξει τιμιώτατον ἅμα καὶ μάλιστ᾽ αἴτιον εἶναι δόξειεν ἄν· ἡμῖν πᾶσι γεγονέναι προςφιλῆ τὴν τοιαύτην διάθεσιν; Ut vero hoc levi momento sit in auctore qui permulta lectoribus divinanda reliquit, quomodo si haec tria pro bonis acceperis ea conciliabis cum illis quae in fine bona enumerantur? Quod nullo modo te facturum esse credo. Contra meam interpretationem si secutus eris intelliges opinor quo jure uterque locus ab altero discrepet. Veluti moderatio et congruentia quae illic disjunguntur hic conjungendae erant: hic enim ut vidimus utraque quoniam eum interiorem alicujus rei statum designat quem quasi in superficie pulchritudo sequitur huic recte opponuntur. Contra si bona distinguuntur quae per se et quae aliis bona sunt pulchra et secum congruentia in uno genere ponenda sunt ita ut ab eo quod moderatum est discernantur. Sed ut ceteras differentias quas supra commemoravi et quae facilem explicationem habebunt si universum illud de utroque loco discrimen statueris hic non repetam, aliam potius eis addam quae nunc demum aliquantum gravitatis accipit: nonne enim hic causas summi boni illic ipsa bona afferri vel inde patet quod eadem notio hic nomine quo status aliqui denotatur illic neutro adjectivi exprimitur? An putas moderationem idem esse atque moderatum

pulchritudinem idem atque pulchrum? Quibus argumentis coacti tandem confitebimur hunc et illum locum tantopere inter se differre ut pauca admodum utrique communia sint.

Ac tamen esse aliquam inter utrumque necessitudinem probant haec Protarchi verba: *φαίνεται γοῦν ἐκ τῶν νῦν λεγομένων.* Nam quae *τὰ νῦν λεγόμενα* appellantur vix ita accipienda sunt ut ad totum sermonem pertineant sed ut ad proximam quae antecessit partem. Quamquam constat ex ea non apparere sempiternam naturam primum in moderatis inventam esse. Quare nihil restat nisi ut haec verba ad ea tantum referamus quibus Socrates declarat voluptatem neque primum neque secundum bonum esse. Id quod ita excusari potest ut Protarchum quippe qui voluptatem defendendam susceperit statuamus praecipue curare qui locus ei attribuatur. Cui alii rei primus locus assignetur non multum refert, hoc vero summum est voluptatem jam non modo primum sed ne secundum quidem bonum esse. Quod ita se habere ex eis quae proxime disputantur cognitum est: ibi enim dum mens et voluptas cum summo bono conferuntur, mentis cum illo majorem similitudinem esse quam voluptatis intellegitur.

Sed accuratius consideremus bonorum enumerationem. Inter tria quae enumerantur bona humana primum locum tenet mens pura qualis in dialectica versatur (cfr. p. 59 D: *ΣΩ. οὐκοῦν νοῦς ἐστὶ καὶ φρόνησις ἅ γ᾽ ἄν τις τιμήσειε μάλιστ᾽ ὀνόματα; ΠΡΩ. Ναί. ΣΩ. Ταῦτ᾽ ἄρα ἐν ταῖς περὶ τὸ ὂν ὄντως ἐννοίαις ἔστιν ἀπηκριβωμένα ὀρθῶς κείμενα καλεῖσθαι*), secundum ceterae artes tertium voluptates purae. Haec sunt igitur bona, quae ipsi homini propria et peculiaria in ceteris rebus non item conspiciuntur. Atqui sunt duo alia genera bonorum quibus omne bonum ubicunque reperitur comprehenditur: omnia bona esse existimantur aut quod moderata aut quod secum congruentia et perfecta sunt. Quibus sempiterna natura adscribitur quod in diversissimis rebus bonitatis causae apparent: nulla enim pars bona reperitur quae non sit moderata neque totum ex partibus compositum quod non sit secum congruens et perfectum. Quae sempiterna natura effecit ut haec duo boni genera in bonorum ordine primum locum teneant. Eadem vero sempiternitate quod pariter utrumque praeditum est non causa erat cur alterum alteri praeferretur; quare priore loco non

ponitur quod dignitate alterum superat sed quod prius quam alterum inventum est semper bonum esse.

Nihil igitur in ipsis verbis inest quod prohibeat quominus bona quae enumerantur ita ut volui interpretemur. At si sententiam spectamus restant quae aliquem offendant: nam cum moderata sint quae ex fine et infinito temperantur, congruentia secum et perfecta quae ex finitis partibus constant, utraque boni species in mixto quod vocatur genere numeranda est. Quare illam interpretationem improbabunt quicunque singulos Platonis dialogos ita inter se cohaerere existimant ut tamquam membra unum et conclusum philosophiae corpus efficiant: hi enim putabunt me facile redargui quoniam hac boni definitione ideae a bonis excluduntur, quas tamen maxime e Phaedro et Convivio satis constat a Platone in optimis et pulcherrimis numeratas esse. Sed ut istos qui meris conjecturis tamquam certissimis cognitionis principiis utuntur missos faciam, meliore jure me refutatum arbitrantur qui ex hoc ipso sermone locum attulisse sibi videntur, unde etiam a Philebi auctore ideas bonas immo optimas putari manifestum sit. Nam p. 53 D sqq. duo distinguuntur alterum quod ipsum per se semper exstat alterum quod hujus semper appetens est. Quorum illud essentiae hoc generationis vocabulo denotatur. Iam vero sponte apparet summum bonum quod sibi sufficiat non posse in generatione cerni ut quae nunquam sibi sufficiat sed essentia semper egeat. Quare cogimur ut summum bonum statuamus in essentia esse quippe quae sola propter se neque alius rei causa exstet. Iam quae *οὐσία* et quae *γένεσις* intellegenda sit sic concluditur: satis constat a Platone vocabulum *οὐσία* praecipue ideis attribui, contra *γένεσις* ad res sensibiles pertinet. Accedunt deinde nonnulli Phaedonis loci p. 74 E: *οὐκοῦν ὁμολογοῦμεν, ὅταν τίς τι ἰδὼν ἐννοήσῃ ὅτι βούλεται μὲν τοῦτο, ὃ νῦν ἐγὼ ὁρῶ, εἶναι οἷον ἄλλο τι τῶν ὄντων, ἐνδεῖ δὲ καὶ οὐ δύναται τοιοῦτον εἶναι οἷον ἐκεῖνο, ἀλλ' ἔστι φαυλότερον* —. ib. p. 75 A: *τὰ ἴσα ἐνενοήσαμεν ὅτι ὀρέγεται μὲν πάντα ταῦτ' εἶναι οἷον τὸ ἴσον, ἔχει δὲ ἐνδεεστέρως.* ib. B: *πάντα τὰ ἐν ταῖς αἰσθήσεσιν ἐκείνου τε ὀρέγεται τοῦ ὃ ἔστιν ἴσον, καὶ αὐτοῦ ἐνδεέστερά ἐστιν.* ib. *εἰ ἐμέλλομεν τὰ ἐκ τῶν αἰσθήσεων ἴσα ἐκεῖσε ἀνοίσειν, ὅτι προθυμεῖται μὲν πάντα τοιαῦτα εἶναι οἷον ἐκεῖνο, ἔστι δὲ αὐτοῦ φαυλότερα.*

Unde patet res sensibiles a Platone tales cogitari quae idearum sempiternam naturam expetant. Itaque admodum verisimile est quod quis ex his concluserit vocabulo *οὐσία* idearum naturam vocabulo *γένεσις* res sensibiles eo de quo tractamus loco designari. Attamen hanc argumentationem quominus probem obstat quod ubicunque in Philebo *γένεσις* et *οὐσία* conjunguntur *γένεσις* significat generationem *οὐσία* perfectum alicujus rei statum cfr. p. 26 E: *ἀλλὰ τρίτον φάθι με λέγειν, ἓν τοῦτο τιθέντα τὸ τούτων ἔκγονον ἅπαν, γένεσιν εἰς οὐσίαν ἐκ τῶν μετὰ τοῦ πέρατος ἀπειργασμένων μέτρων.* p. 27 B: *πρῶτον μὲν τοίνυν ἄπειρον λέγω, δεύτερον δὲ πέρας, ἔπειτ᾽ ἐκ τούτων τρίτον μικτὴν καὶ γεγενημένην οὐσίαν· τὴν δὲ τῆς μίξεως αἰτίαν καὶ γενέσεως τετάρτην λέγων ἆρα πλημμελοίην ἄν τι;* Accedit quod hoc ipso de quo tractamus loco *οὐσία* pro statu rei perfecto accipienda est: exempla enim quae ad *οὐσίας* naturam describendam afferuntur non sempiternam essentiam produnt sed perfectum aliquem statum veluti p. 54 B: *τοιόνδε τι λέγω, ὦ Πρώταρχέ μοι, πότερα πλοίων ναυπηγίαν ἕνεκα φῂς γίγνεσθαι μᾶλλον ἢ πλοῖα ἕνεκα ναυπηγίας; καὶ πάνθ᾽ ὁπόσα τοιαῦτ᾽ ἐστί, λέγω τοῦτ᾽ αὐτό, ὦ Πρώταρχε.* Quibus duobus argumentis satis confirmatum est vocabulo *οὐσία* perfectum rei statum designari. Iam generatio quae ad perfectum rei statum tendit recte dicitur ejus causa fieri (*ἑκάστην γένεσιν ἄλλην ἄλλης οὐσίας τινὸς ἑκάστης ἕνεκα γίγνεσθαι*): nullum enim alium finem generatio propositum habet quam perfectum rei statum. Contra si res sensibiles idearum causa fieri posuerimus absurda evenient: sequetur enim res sensibiles eo tendere ut ideae existant quas tamen sempiternas esse constat. Non igitur idearum causa (*ἕνεκα*) res sensibiles fiunt sed propter (*διά*) illas: scilicet cum ex Phaedone et aliis Platonis dialogis constet res sensibiles ideas imitari et ab eis certam naturam formamque accipere, causae rerum formales potius quam finales quae vocantur ideae cogitandae sunt. Qua argumentatione quamquam satis constat generationem hic significari quae ad perfectum rei statum tendat tamen idem exemplo confirmetur quod in libris quos Plato de legibus scripsit reperitur cfr. X p. 903 B: *Πείθωμεν τὸν νεανίαν τοῖς λόγοις ὡς τῷ τοῦ παντὸς ἐπιμελουμένῳ πρὸς τὴν σωτηρίαν καὶ ἀρετὴν τοῦ ὅλου πάντ᾽ ἐστὶ συντεταγμένα, ὧν καὶ τὸ μέρος εἰς δύναμιν ἕκαστον*

τὸ προςῆκον πάσχει καὶ ποιεῖ· τούτοις δ' εἰσὶν ἄρχοντες προστεταγμένοι ἑκάστοις ἐπὶ τὸ σμικρότατον ἀεὶ πάθης καὶ πράξεως, εἰς μερισμὸν τὸν ἔσχατον τέλος ἀπειργασμένοι· ὧν ἓν καὶ τὸ σόν, ὦ σχέτλιε, μόριον εἰς τὸ πᾶν ξυντείνει βλέπον ἀεί, καί περ πάνσμικρον ὄν. σὲ δὲ λέληθε περὶ τοῦτο αὐτὸ ὡς γένεσις ἕνεκα ἐκείνου γίγνεται πᾶσα, ὅπως ᾖ ἡ τῷ τοῦ παντὸς βίῳ ὑπάρχουσα εὐδαίμων οὐσία, οὐχ ἕνεκα σοῦ γιγνομένη, σὺ δὲ ἕνεκα ἐκείνου. πᾶς γὰρ ἰατρὸς καὶ πᾶς ἔντεχνος δημιουργὸς παντὸς μὲν ἕνεκα πάντα ἐργάζεται, πρὸς τὸ κοινῇ ξυντείνων βέλτιστον, μέρος μὴν ἕνεκα ὅλου καὶ οὐχ ὅλον μέρους ἕνεκα ἀπεργάζεται· σὺ δὲ ἀγανακτεῖς ἀγνοῶν ὅπῃ τὸ περὶ σὲ ἄριστον τῷ παντὶ ξυμβαίνει καὶ σοὶ κατὰ δύναμιν τὴν τῆς κοινῆς γενέσεως. Qui locus jam pridem cum illo Philebi loco comparari debebat quia uterque alterius explicationem adjuvat: nam in legibus cum universus mundus et singulae ejus partes inter se opponuntur illi perfectus status his generatio tribuitur. Possit igitur videri perfectum statum ad universum mundum tantum pertinere et in partibus semper generationem inesse. Atqui illi perfectus status adscribitur quia totus et absolutus est his generatio quia imperfectae sunt et ad illum constituendum tendunt. Quare cum eodem loco singulae quoque res dicantur totae et aliquo modo perfectae esse earumque partes statuantur facile concluditur in singulas quoque res perfectum statum aliquo modo convenire. Quod cum per se satis probabiliter conclusum sit etiam magis confirmatur eo quod illo Philebi loco p. 54 C in singulis quoque dicitur unaquaeque res ad perfectum statum suum et proprium tendere (ἑκάστην δὲ γένεσιν ἄλλην ἄλλης οὐσίας τινὸς ἑκάστης ἕνεκα γίγνεσθαι). Sed gratias quas Philebo debet statim ille legum locus solvit: nam in Philebo quamquam qualis in singulis sit generatio et perfectus status exemplis illustratur tamen in obscuro relinquitur qualis cogitanda sit universa illa et generatio et perfectus status (σύμπασαν δὲ γένεσιν οὐσίας ἕνεκα γίγνεσθαι συμπάσης). Quam obscuritatem illustrat ille legum locus cum universi mundi perfectum statum et partium ejus omnium generationem appareat suo jure vocari universa.

Satis igitur demonstratum est quoniam *οὐσία* de ideis intellegi nequit earum naturam pro optima non haberi. Quare hac ex parte ille locus cum eis quae in bonorum enumeratione inter-

pretanda statui nequaquam pugnat. Sed etiamsi non idea summum bonum esse dicitur tamen aliud quid illo loco tale esse significatur. Quod quia nomine ab eo summo bono quod ego statui differt non minus jam quaerendum est utrum quod hic dicitur summum bonum esse cum eo quod supra optimum putavi re ac veritate congruat. Id quod facile intellegemus si vocabulorum *γένεσις* et *οὐσία* notionem subtilius enucleaverimus. Iam alios locos consideremus in quibus ejusdem et generationis et perfecti status mentio fit p. 26 D: *ἀλλὰ τρίτον φάθι με λέγειν, ἓν τοῦτο τιθέντα τὸ τούτων ἔκγονον ἅπαν, γένεσιν εἰς οὐσίαν ἐκ τῶν μετὰ τοῦ πέρατος ἀπειργασμένων μέτρων* et p. 27 B: *Πρῶτον μὲν τοίνυν ἄπειρον λέγω, δεύτερον δὲ πέρας, ἔπειτ᾽ ἐκ τούτων τρίτον μικτὴν καὶ γεγενημένην οὐσίαν· τὴν δὲ τῆς μίξεως αἰτίαν καὶ γενέσεως τετάρτην λέγων ἆρα πλημμελοίην ἄν τι;* E quibus apparet et generationem et perfectum statum ad mixtum genus pertinere. Itaque duae sunt mixti generis formae altera eorum quae fiunt altera eorum quae facta sunt. Iam eo loco quem e libris quos Plato de legibus scripsit attuli docemur partibus proprium esse quod fiunt, contra ipsum totum quod e partibus constat non fit sed factum est et per se exstat: nam ipse homo idem dicitur et pars universi mundi esse et generatio quae ad illius perfectum statum tendat, eadem autem ratio quae inter universum mundum et singulos homines intercedere putatur inter omnia quae tota sunt et partes quibus ea constant. Vix igitur opus est aliud exemplum afferre quo demonstratur quodcunque factum sit id aliquo modo totum esse conf. Soph. p. 245 D: *τὸ γενόμενον ἀεὶ γέγονεν ὅλον, ὥστε οὔτε οὐσίαν οὔτε γένεσιν ὡς οὖσαν δεῖ προςαγορεύειν τὸ ὅλον ἐν τοῖς οὖσι μὴ τιθέντα.* Supra autem ostendi partes esse moderatas ipsum totum congruens secum et perfectum. Quare intellegitur si tum generatio et perfectus status tum moderatum et secum congruens mixti generis formae dicuntur eadem significari nominibus diversis: certe enim generatio ad moderata perfectus status ad congruentia secum referendus est. Atque ita demum explicatur cur artifices tum dicantur in partibus singulis quae moderatae sunt conjungendis tum in generatione rerum versari: scilicet ex partibus moderatis dum componitur totum generatur cfr. p. 26 D: *γένεσιν εἰς οὐσίαν ἐκ τῶν μετὰ τοῦ πέρατος ἀπειρ-*

γασμένων μέτρων. Cujus sententiae probabilitas eo augetur quod et generatio et perfectus status pro duabus bonorum formis habentur: perfectum enim statum esse summum bonum ipse auctor nobis probare studet p. 53 D sqq. Nam de summo bono cogitandum esse ubi voluptas ἀγαθόν esse negatur facile evincitur: nisi enim ipse vellet bonas esse puras voluptates eas in bonorum coetum quo summum bonum humanum constituitur non recepisset. Atque quod p. 54 D et p. 55 A. ἀγαθόν idem fere est atque τἀγαθόν, facile explicatur cum summum bonum solum videatur dignum esse quod boni nomine insigniatur cfr. Rep. VI p. 509 A: ἐπιστήμην δὲ καὶ ἀλήθειαν, ὥς περ ἐκεῖ φῶς τε καὶ ὄψιν ἡλιοειδῆ μὲν νομίζειν ὀρθόν, ἥλιον δε ἡγεῖσθαι οὐκ ὀρθῶς ἔχει, οὕτω καὶ ἐνταῦθα ἀγαθοειδῆ μὲν νομίζειν ταῦτ' ἀμφότερα ὀρθόν, ἀγαθὸν δὲ ἡγεῖσθαι ὁπότερον αὐτῶν οὐκ ὀρθόν, ἀλλ' ἔτι μειζόνως τιμητέον τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἕξιν. Et p. 55 A quidem auctor non negat voluptatem aliquo modo participem esse bonitatis sed ejus notionem cum boni notione plane congruere: latior enim boni ambitus describendus est neque angustis voluptatis finibus continendus si explicare volumus cur alia permulta praeter voluptatem quae bona sunt talia putentur esse. Tum vero quod summum est ipse auctor nequaquam sibi constaret si generationem hic omnino a bonitate removeret cum p. 25 E sqq. aperte quaecunque generantur in bonis numeret. Denique si id cujus causa aliud quid fit aliquatenus bonum existimatur esse hanc definitionem a generationis natura non abhorrere intellegemus ex p. 54 C: φημὶ δὴ γενέσεως μὲν ἕνεκα φάρμακά τε καὶ πάντα ὄργανα καὶ πᾶσαν ὕλην παρατίθεσθαι πᾶσιν. Itaque rectius rem ita instituemus ut bonum concedamus esse generationem, pro summo autem bono habeamus perfectum alicujus rei statum.

Non igitur discrepant ab eis quas supra inveni a moderatione et congruentia. Id quod ex ipsa natura facillime explicatur: nam et moderatio et generatio infinitati opponuntur cum utraque inde nascatur quod infinito modus aliqui sive finis imponitur itemque perfectus status et congruentia inter se affines sunt quod utrumque rei attribuitur quae in se quodammodo conclusa est neque finem habet quem sequatur extra se positum. Tantum igitur abest ut hic locus qui de perfecto statu et generatione est pugnet cum eis

quae supra conjectura assecutus sum ut illa confirmet ac stabiliat quoniam ex eo clarius apparet duo statuisse auctorem bonorum genera. Iam his cognitis libet in singulis addere quid inde profecerimus. Nunc enim intellegimus quam necessarium fuerit illo maxime loco commemorare voluptatis non esse perfectum statum sed generationem. Nam adhuc summum bonum in generatione posuerat quippe qua sola mixtum genus repraesentari videretur: etenim si accuratius perlustramus quae inde a p. 25 E leguntur singulorum describitur moderatio quae efficit ut ea inter se congruant. Atque ipse testatur hic agi non de totius alicujus perfecto statu sed de partium quibus illud constat moderatione et concentu p. 25 D. Deinde addit mixtis fine et infinito generationes in singulis omnibus existere. Denique totum mixtum genus complectitur ubi eo contineri dicit p. 26 E generationem quae ad perfectum statum tendat. cfr. p. 27 A. Quae tam egregie consentiunt ut contra junctas eorum vires vix quicquam valeat illa *γεγενημένη οὐσία* quae p. 27 B ex mixtione nasci dicitur: nam si universam generationem comprehendere voluit nihil rettulit utrum eam generationem an perfectum statum nominaret quoniam ex generatione universa mundi perfectus status oritur. Ita cum statim in proximis *γένεσις* nominetur quae nunc dicitur *γεγενημένη οὐσία* aut statuendum est de totius mundi perfecto statu auctorem cogitasse aut nondum curasse discrimen quod inter perfectum statum et generationem intercedit. Certissimum autem est ex eis quae supra disputavi bonitatem singulis rebus hoc loco non adscribi quod sunt sed quod fiunt et generantur. Iam postquam auctor in voluptatis naturam inquirens eo pervenit ut unum e ceteris genus excellere intellegeret quod et moderatione praeditum esset et generationem comitaretur unusquisque suspicari debebat summum bonum in voluptate esse siquidem summum bonum inventum erat in mixto genere inesse et mixtum genus videbatur ea complecti quae generantur et moderata sunt. Quare ne quod jamdudum constitit voluptatem non esse summum bonum everteretur addidit auctor duas esse distinguendas mixti generis formas generationem et perfectum statum quarum haec illam longe superaret ut summum bonum non posset nisi in hac inesse. Iam quamquam voluptas ut quae generationis comes sit mixtionis aliquatenus

particeps est ideoque titulo non caret quo in bonis referatur tamen a perfecto statu vel maxime abhorret ut summum bonum nullo pacto judicari possit. Vides igitur quam commode et ad consilium apte perfecti status et generationis mentio injiciatur cum ita demum cur in bonis quidem sed non summum bonum voluptas habeatur perspicuum fiat.

Quibus disputatis quamquam puto non dubium esse quin ideae a Platone in bonis non referantur tamen erunt fortasse qui etsi in certo auctoris tertimonio non nituntur tamen ideas pro bonis haberi inde colligunt quod eis veritas constantia sempiterna denique natura tribuitur. Quare paullo uberius de ideis disputandum est ut tandem aliquando appareat quo discrimine veritas a bonitate distet. Et prima quidem idearum mentio incidit in eam sermonis partem ubi de uno et multis inter se conjungendis agitur. Nam simulac plura in voluptatis et mentis natura genera apparuerunt statim quaestio oriebatur quomodo uno genere plura illa comprehenderentur. Quam quaestionem ut illo tempore agitatam accuratius tractare auctor suscipit cum de ratione quae inter unum et multa intercedit dubitari possit. Nam sunt qui unum hominem monstrant eundemque multos quia sit magnus et parvus gravis et levis aliaque ejusmodi sexcenta. Qua illius natura cum ridicule quidam abutantur ut in aliis dubitationes moveant, eam disputandi rationem tantopere contemni dicit Socrates ut puerilis existimetur et talis a qua abstinendum sit. Simul autem cum ea ait aliam non minus despici qua ex partibus et membris quae hominis corpus componunt unum et multa idem esse demonstratur. Quam rationem etsi illo μηδὲ τὰ τοιάδε quod p. 14 D legitur magis approbare Socrates videtur tamen utrique longe praefert aliam disputandi viam si quis unum illud non ex eis quae generantur et intereunt sumpserit sed ex eis quae semper et per se exstant. Quare unum aliquem hominem negat recte in plures partes dividi ut inde unum esse aliquando multa et multa unum probetur, multo vero rectius esse dicit si quis unam illam hominis speciem posuerit ejusque partes esse dixerit singulos homines. Et de his quidem formis generalibus earumque ratione quam habeant cum multis in quas dividuntur partibus multo rectius disputatum iri dicit. Nam quin multae restent difficultates etiamsi unam statueris

ideam et multas quae ei subjunguntur partes non potest dubitari ab eo qui adolescentes aliquos cum illa de uno et multis doctrina tamquam novo invento sese jactent viderit in disputando omnia perturbantes. Itaque res ipsa videtur flagitare ut priusquam ad ceterorum disputationem pergatur de uno et multis certa et vera statuantur in quibus futura disputatio innitatur. Atqui longior fuisset quam ex instituto licebat si illas quaestiones quae de idearum natura oriuntur argumentatione solvisset. Quare ejus quam de ideis propositurus est sententiae deos affert testes et qui eis simillimi sunt priscos homines in quorum auctoritate ceteri homines facile acquiescant. Inde ab antiquissimis igitur temporibus traditum esse ait et cum igne illo caelesti a Prometheo quodam hominibus impertitum omnia quaecunque esse dicantur ex uno et multis constare et fine et infinitate concreta esse. Unde sequitur in omnibus quae sunt primum unam esse quaerendam ideam deinde formas eas in quas illa discedat certo numero comprehendendas. Quo facto demum unitas illa in infinitatem dimittenda est. Qui igitur haec disserendi ratio ab altera illa differt? Illa nimirum simpliciter posuit multa esse in quae unum dissolvatur et ita singulas formas cum infinitate rerum confudit; haec vero nova in ipsa multitudine duas formas distinguit cum multa quae sunt aut numero definita aut infinita esse possint. Nam nescio sane quibus causis ducti interpretes quos quidem noverim omnes *πολλά* existimarint non significare in universum multitudinem sed singulas tantum in quas genus dividitur formas. Neque enim in ipso verbo quicquam inest quod talem interpretationem poscat neque ipse auctor hanc notionem se hoc vocabulo denotare ullo loco significavit. Quod profecto debuit quandoquidem in aliis Platonis dialogis *πολλά* illud multitudinis tantum notionem exprimere inter omnes constat. Accedit quod vix dici poterit quid discriminis sit inter *πολλά* et *πλῆθος* multa et multitudinem. Quare si quis putaverit idem significare non poterit non concedere infinitatem ad *πολλά* quoque pertinere quoniam multitudini ea saepius tribuitur veluti p. 16 D: *τὴν δὲ τοῦ ἀπείρου ἰδέαν πρὸς τὸ πλῆθος μὴ προςφέρειν* — p. 17 B: *καὶ ἄπειρον αὖ πλήθει* — ib. E: *τὸ δ' ἄπειρόν σε ἑκάστων καὶ ἐν ἑκάστοις πλῆθος* —. Denique comparanda sunt quae leguntur p. 15 A: *ὁπόταν, ὦ παῖ, τὸ ἓν μὴ*

τῶν γιγνομένων τε καὶ ἀπολλυμένων τις τιθῆται, καθάπερ ἀρτίως ἡμεῖς εἴπομεν. In quibus quoniam unum dicitur in eis ponendum esse quae semper sunt, multa in eis referri quae generantur et intereunt diserte significatur. Non igitur multa intellegenda sunt generis formae a quorum natura generatio et interitus abhorrent. Atque idem videtur consequens esse ex exemplis quae afferuntur: quis enim homines multos et boves multos qui cogitandi sunt non de singulis hominibus et singulis bobus intellexerit sed de formis quibusdam eorum? Quibus constitutis jam longe aliter atque antea factum est explicanda sunt illa quae leguntur p. 16 D: *μέχρι περ ἂν τὸ κατ᾽ ἀρχὰς ἓν μὴ ὅτι ἓν καὶ πολλὰ καὶ ἄπειρά ἐστι μόνον ἴδῃ τις, ἀλλὰ καὶ ὁπόσα.* Nam neque si unum neque si multa neque si infinita esse unam aliquam rem quis intellexit perfectam et plenam rei cognitionem habet; quam nunquam adipiscetur si unam illam rem tantummodo scierit esse unam aut in universum multa aut denique infinitam multitudine. Nihil enim eorum ad rei naturam perspiciendam sufficit nisi accessit definitus ille formarum numerus. cfr. Tim. p. 31 A: *πότερον οὖν ὀρθῶς ἕνα οὐρανὸν προςειρήκαμεν, ἢ πολλοὺς καὶ ἀπείρους λέγειν ἦν ὀρθότερον;* Nulla igitur plane re cogimur ut *πολλά* illud non de incerta in universum sed de formarum incerta multitudine intellegamus. Neque jam id quod non exiguum fructum et quasi veritatis quendam indicem putaverim egebimus artificiosa illa ratione qua in duorum locorum explicatione Stallbaumius ipse sese et lectores cruciavit. Quis enim intellegere possit quo jure quae p. 17 C. afferuntur tria vocis genera grave acutum consonans tamquam Platonis illa multa a ceteris discernantur quae certum quendam numerum efficere dicuntur? Nam etiamsi obiter intuenti cum his consentire videntur quae p. 16 D. leguntur tamen cum eisdem discrepat quod in proximis numerus ille definitus non dicitur exstare inter unum multaque et infinitum sed omnino inter unum et infinitum ut dubitari non possit quin hic quoque ea quae certum quendam numerum capiant a Platone ut par est in mediis illis et certum numerum efficientibus omnibus referantur. Quamquam causa qua commotus Stallbaumius ista proposuit in aperto est: quoniam enim non sufficere ad vocis naturam cognoscendam dicitur si quis unam eam aut si tria eandem esse

statuat similiterque antea non satis esse judicatur ubi unum et multa tantum reperta sunt, inde probabiliter sibi effecisse visus est multa et tria illa idem rerum genus repraesentare. Atqui si quis non verba eorumque fortuitam similitudinem sed ipsam sententiam spectaverit, nullam inveniet causam cur tria illa potius multa existimentur esse quam quae proxime sequentia enumerantur. Nonne enim supra auctor diserte et clare praeceperat ut omnem numerum qui inter unum et infinita medius est percenseremus? Quare non statim in tribus illis subsistendum erat sed ad cetera quae non minus certo numero comprehendi possunt pergendum quoad ad infinita perveniretur. Sed exstat alius locus in cujus interpretatione invento suo opus esse Stallbaumius existimavit. Quod si verum esset gratiam ei vel maximam haberemus cum admodum difficilia sint explicatu quae leguntur p. 16 E: *οἱ μὲν οὖν θεοί, ὅ περ εἶπον, οὕτως ἡμῖν παρέδοσαν σκοπεῖν καὶ μανθάνειν καὶ διδάσκειν ἀλλήλους· οἱ δὲ νῦν τῶν ἀνθρώπων σοφοὶ ἓν μέν, ὅπως ἂν τύχωσι, καὶ πολλὰ θᾶττον καὶ βραδύτερον ποιοῦσι τοῦ δέοντος, μετὰ δὲ τὸ ἓν ἄπειρα εὐθύς· τὰ δὲ μέσα αὐτοὺς ἐκφεύγει, οἷς διακεχώρισται τό τε διαλεκτικῶς πάλιν καὶ τὸ ἐριστικῶς ἡμᾶς ποιεῖσθαι πρὸς ἀλλήλους τοὺς λόγους.* Atque duo habeo quae in illius interpretatione reprehendam: primum enim cum recte intellegat illa *ὅπως ἂν τύχωσι* pertinere etiam ad *καὶ πολλά*, statuit levem trajectionem cum proprie *ὅπως ἂν τύχωσι* post *καὶ πολλά* collocandum sit. At videtur talis trajectio ab hoc loco aliena esse quoniam illa *ὅπως ἂν τύχωσι* simul referuntur ad ista *θᾶττον καὶ βραδύτερον* a quibus separari nullo modo possunt. Neque celeritas et tarditas quales ille statuit satis accurate inter se respondent: nam tardius aliquem agere putat si quis in multis veluti tribus illis quae postea commemorantur vocis generibus substitit neque longius progreditur ad cetera genera enumeranda. Qui num recte tardius agere dicatur dubito: non enim tarde agit qui quam brevissimo tempore agendi finem facit. Sed ut hoc mittam tarditas qualem intellegit celeritati quam ipse statuit non accurate opponitur: celeritas enim ex ipsius opinione in eo cernitur quod in dividendo genera quaedam temere transiliuntur. At huic celeritati si opponeretur tarditas in eo esset quod plura quam necesse est genera afferuntur. Haec

igitur interpretandi ratio cum propter duo quae attuli argumenta probari non possit non probabilor inde fit quod mira illa verbi *πολλά* explicatione quasi fundata est. Multo verius idem Stallbaumias in prima Philebi editione judicat ubi quamquam *πολλά* de generum formis interpretatur tamen subtiliorem illam definitionem nondum invenerat. Quare quod *πολλά* ut dixi pro generum formis accepit easdemque designari perspexit mediis illis quae deinde nominantur necessario *καὶ πολλὰ* delendum esse existimavit cum in proximis media a sophistis istis praetermitti dicantur. At ne ei quidem qui *πολλά* intellexit de multis in universum tolerandum est hoc vocabulum: primum enim quod jam supra commemoravi vocabulum illud dirimit quae arte inter se cohaerent deinde vero ex opposito illo *μετὰ δὲ τὸ ἓν ἄπειρα εὐθύς* apparet etiam antea illud *ἓν* tantum commemoratum esse. Deleto autem illo *καὶ πολλά* quaeritur quid significent ista *ὅπως ἂν τύχῃ θᾶττον καὶ βραδύτερον*. De quibus in prima editione Stallbaumius judicium sustinuit. Attamen cum justa ratio ea sit qua unum non formatur priusquam singula genera omnia inventa sunt justo celerius haud dubie agunt quicunque non omnia genera enumerant, tardius autem qui plura. Atque illud cum planum sit hoc tantum explicatione eget: isti enim homines si eis multitudo uno genere comprehenda est non formas et differentias certas in ea discernere conantur sed ut fors tulit nonnulla ex ea arripiunt ut ex communibus notis genus eorum colligant. Iam si multitudo illa in paucas veluti duas formas divisa erat facilius et celerius haud dubie homines isti ex duabus his unum illud collegissent quam ex singulis pluribus inter se comparatis. Non opus igitur est ut *βραδύτερον* mutemus in *βραχύτερον* quam conjecturam olim a Schützio prolatam Badhamius repetivit. Quae conjectura non modo non necessaria sed ne per se quidem recta et vera est cum mihi videatur dubitari posse num tali notione *βραχύτερον* usquam reperiatur: certe enim tali exemplo quale Badhamius attulit ex Polit. p. 279 C. ubi *διὰ βραχέων ταχύ* conjungitur illa significatio non probatur. Accedit quod Badh. omisit de illo *καὶ πολλά* quicquam addere cum tamen utraque quaestio inter se cohaereat. — Postquam igitur constitutum est medium esse inter unum et infinitam multitudinem certum quendam numerum ita ut omnibus qui in arte aliqua vel

disciplina versantur ab infinita eorum quae sensibus percipiuntur multitudine per finitum formarum numerum ad unum genus ascendendum sit, novam hanc rationem ipsi quae tractatur quaestioni adhibiturus est cum intellegit id fieri non posse nisi de alio quodam prius convenerit. Statuit igitur Socrates et facile Protarchum ac Philebum sibi assentientes habet non esse neque mentem neque voluptatem summum bonum sed tertium quid ab utraque diversum: vitam enim quae ex mente et voluptate mixta est unus quisque concedit meliorem esse quam quae aut sola mente aut sola voluptate constat. De quo postquam convenit novam Socrates aggreditur disputationem qua omnia quae sunt in tria dividuntur unum quod finem continet alterum quod infinitum est tertium denique ex utroque mixtum. Atque infinitum cum velit esse cujus natura nunquam certa ac fixa sit, finem statuit esse qui cum ipse semper et per se finitus sit alia quoque terminet. Quare in illo genere rettulit quae comparativas ut ita dicam notiones capiunt veluti quae eadem qualitate modo minus modo magis praedita sunt quaeque vehementia et tranquillitate afficiuntur, in hoc finitorum genere numerat quaecunque vel aequa vel dupla omninoque ejusdem atque aliud mensurae sunt. Utrumque autem genus ita comprehendit ut infinita dicat esse quaecunque modo plus modo minus sunt ideoque secum ipsa pugnant, finita vero quibus alia inter se discrepantia congrua secum et convenientia fiunt. Iam vero his duobus finiti et infiniti generibus accurate definitis restat ut quod ex utroque mixtum est eodem modo circumscribatur. Qua mixtione ut ipse auctor testatur factum est ut quae antea incerto motu fluctuabant summaque licentia omnes terminos migrabant nunc ad finem aliquem propositum generentur et modum aliquem teneant. Finem autem qui generationi propositus est supra vidimus esse perfectum rei statum: eum enim sequitur ut amatores pueros dilectos omnis generatio. Iam vero generationem constat partes componere quibus totum quod perfectum est constet. Atqui nulla res totius alicujus pars est nisi fine aliquo terminata. Quare duas ponamus esse res quibus totum aliquod constituatur: quas si ita terminaverimus ut uni alterius duplum pro libito concedamus non efficiemus ut totum aliquod et unum existat quoniam commune quo utrumque cum altero contineatur vinculum deest. Nun-

quam enim totum quod vere sit duabus ex rebus compositum est nisi una cum altera aequitate conjungitur. Atqui exemplis facile probatur aequitatem non eam intellegi quae summa cum imis exaequet sed praestantiorem illam quae suum cuique tribuat. Tum igitur vere quod totum sit et cohaereat duabus ex rebus exsistet si non pro libito uni vel alteri earum sed ei quae natura praestat duplum concesseris. Ita demum totum quod secum congruat et partes nascentur quae justum modum habeant. Iam p. 25 E sqq. saepius vidimus fine et infinito mixtis existere quae justum modum habeant quibusque ut partibus totum, quod secum congruat, componatur: sequitur igitur si vera sunt quae disputavi in finito illo genere simul esse aequitatem eam quam descripsi. Quare cum ipse auctor duplex terminationis genus diserte distinguat aequitatem et quae dupla tripla et similia sunt, aequitas non vilis ista qua omnia summa et ima exaequantur intellegenda est sed divina justitiae soror. Quae conjectura exemplo egregio confirmetur cf. Legg. VI p. 757 B: *τὴν δὲ ἀληθεστάτην καὶ ἀρίστην ἰσότητα οὐκέτι ῥᾴδιον παντὶ ἰδεῖν. Διὸς γὰρ δὴ κρίσις ἐστί, καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἀεὶ σμικρὰ μὲν ἐπαρκεῖ, πᾶν δέ, ὅσον ἂν ἐπαρκέσῃ πόλεσιν ἢ καὶ ἰδιώταις, πάντ᾽ ἀγαθὰ ἀπεργάζεται· τῷ μὲν γὰρ μείζονι πλείω, τῷ δὲ ἐλάττονι σμικρότερα νέμει, μέτρια διδοῦσα πρὸς τὴν αὐτῶν φύσιν ἑκατέρῳ, καὶ δὴ καὶ τιμὰς μείζοσι μὲν πρὸς ἀρετὴν ἀεὶ μείζους, τοῖς δὲ τοὐναντίον ἔχουσιν ἀρετῆς τε καὶ παιδείας τὸ πρέπον ἑκατέροις ἀπονέμει κατὰ λόγον.* Ubi eadem illa aequitate justus modus partibus impertitur quibus totum et unum constituatur. Deinde eodem modo atque hic ordo et pulchritudo mundi ex aequitate qua omnia reguntur explicantur Gorg. p. 508 A: *φασὶ δ᾽ οἱ σοφοί, ὦ Καλλίκλεις, καὶ οὐρανὸν καὶ γῆν καὶ θεοὺς καὶ ἀνθρώπους τὴν κοινωνίαν συνέχειν καὶ φιλίαν καὶ κοσμιότητα καὶ σωφροσύνην καὶ δικαιότητα, καὶ τὸ ὅλον τοῦτο διὰ ταῦτα κόσμον καλοῦσιν, ὦ ἑταῖρε, οὐκ ἀκοσμίαν οὐδὲ ἀκολασίαν. σὺ δέ μοι δοκεῖς οὐ προσέχειν τὸν νοῦν τούτοις, καὶ ταῦτα σοφὸς ὤν, ἀλλὰ λέληθέ σε ὅτι ἡ ἰσότης ἡ γεωμετρικὴ καὶ ἐν θεοῖς καὶ ἐν ἀνθρώποις μέγα δύναται. σὺ δὲ πλεονεξίαν οἴει δεῖν ἀσκεῖν· γεωμετρίας γὰρ ἀμελεῖς.* Denique ejusdem aequitatis vestigia et in eisdem quidem rebus atque hic deprehenduntur Symp. p. 187 E sq. Ut igitur com-

plectar finito et infinito mixtis oritur quodcunque totum et perfectum est. Iam vero neminem potest fugere longe aliud fuisse et diversum quod supra diceretur fine et infinito conjunctis exsistere: non enim vox quae finem et infinitatem continere dicitur cogitatur tanquam totum aliquod et perfectum. Quod idem in ceteris quae afferuntur exemplis animadvertitur. Neque si in comparatione pergimus, certa illa et numero comprehensa literarum multitudo tamquam partes illae describuntur quibus totum aliquod componitur. Accedit quod quae illic ex mixtione nascuntur numeri dicuntur esse certi ac definiti, quae hic gignuntur etsi numeri vocari possunt tamen proprie mensurae appellantur. Denique summum discrimen in infiniti natura cernitur quoniam eam illic apparet ad multitudinem hic ad vim et potentiam rerum pertinere; multitudine vero finita numerus gignitur, vi et potentia justa mensura. Iam vero in multitudine infinita terminatio perfecta est si certus ille numerus qui in ea conspicitur ad unum denique redit quod idem pluries et diversis modis repraesentatur, in vi autem ac potentia terminatio ad summum pervenit, ubi singula moderata non alium quicque modum sed aequum et eundem omnia habent ideoque ad unum et perfectum corpus efficiendum conspirant. Atqui huc usque verbum nullum feci de terminorum differentia vel similitudine: vidimus enim quid in infinito utroque et quid in eo quod ex fine et infinito mixtum est discriminis insit. Innumerabiles autem sensuum perceptiones ut in certas quasdam ac numero definitas formas discederent quae deinde in unum genus coirent, una eademque idea effecit quae singulis rebus communis et in unoquoque genere conspicua erat. Contra quae dissidentia et discrepantia sunt non ideis in unum coguntur sed mensuris et modo qui adhibetur. Neque singula etiamsi moderata essent diversum autem modum haberent umquam in unum coirent. Quare aequitas accedat necesse est eundemque omnibus modum constituat ut convenientia inter se et congrua fiant. Cum igitur duplex sit terminationis genus alterum continet ideas alterum numerorum rationes ac praecipue aequitatem. Quodsi quaecunque bona sunt vidimus pertinere ad mixtum illud quod a Platone vocatur genus, consequitur ipsam bonitatem ex aequitate et ceteris quae sunt numerorum rationibus esse ortam neque vero ex ideis quoniam

ideas ostendi non esse terminos quibus infinitum quod vi ac potentia est terminatur. Easdem vero ideas satis apparet, quoniam in infinita rerum multitudine ut una notio cernatur efficiunt, causas esse et originem omnis artium et cognitionis veritatis. Atque quod ita concludendo efficimus confirmatur ipsius auctoris testimonio qui cum saepius ideas verissima et certissima cognitionis principia appellet nusquam eas bonas aut pulchras vocat. Nam ne quis putet me refelli quod p. 52 A μαθήματα dicuntur hominibus voluptatem afferre. Concluserit enim quis quod hic alia pulchra commemorantur quae voluptatem hominibus afferant inque aliis Platonis dialogis ideae earumque μαθήματα saepenumero pulcherrima appellantur in Philebo quoque ideas pulchras existimari. At animadvertendum est pulchri vocabulum illo Philebi loco eis tantum tribui quae oculos et aures voluptate afficiunt. Contra neque in odorationibus neque in scientiis pulchritudo inesse verbo significatur. Id quod tanti momenti non esset nisi plane eodem modo in Hippia Maj. p. 298 E sq. pulchri nomen eis tantum tribueretur quae oculis et auribus percipiuntur. Quibus odores opponuntur ut qui jucundi quidem sed nunquam pulchri sint.

Sed non tanto quanto videri possit intervallo veritas a bonitate distat: meminisse enim oportet duo genera auctorem statuisse ejus quod unum et multa dicitur. Unus enim homo aut intellegitur qui ex partibus et membris in unum conjunctis constat aut idea hominis sempiterna quae eadem in singulis hominibus apparet. Iam utroque unius et multorum genere ridicule sophistae abutuntur ut in disputando ceteros homines confundant: verum enim esse demonstrant quod videtur fieri non posse ut nimirum unum sit multa et multa iterum unum. Ad hos igitur refellendos Socrates sese convertit. Quare primum docet unam esse ideam et certum formarum numerum in infinita sensuum multitudine quaerendam. His igitur confutantur qui in eorum quae sensibus percipiuntur multitudine negant unam semper conspicuam esse ideam. Restat ut refellantur qui totum aliquod negant unum esse idemque ex partibus multis constare. Quos contra valent quae de altero termini et infiniti genere disputantur: ex his enim intellegitur unum esse aliquem hominem quod totus est et ex partibus compositus aptis inter se et congruentibus. Ut igitur unum genus

in certas ac numero definitas formas discedit priusquam in infinita sensuum multitudine conspicitur ita totum aliquod prius ex partibus quarum mensura finita est componitur quam incertas illas quae mensuram constantem et fixam non habent qualitatum notationes recipit. Veluti homo aliqui quamquam ex membris et aliis partibus natura sua finitis constat, tamen ubi cum aliis comparatur magnus et parvus gravis et levis aliaque sexcenta videtur esse. Quibus vocabulis alterum illud infiniti genus significatur quod quia numquam fixum stat et immotum sed variatur semper et pro rebus quibuscum comparatur ipsum differt, uno genere illorum comprehenditur in quibus illud *μᾶλλον καὶ ἧττον* apparet quaeque modo majora modo minora videntur esse. Satis igitur jam constat unum et multa duplici sensu dici: aut enim significatur genus quod in formas multas discedit aut totum quod ex partibus multis constat. Atque ut is qui in materia ex certis et definitis partibus totum et unum construxit aliquid quod bonum sit constituit ita qui in innumerabilibus sensuum perceptionibus ex certis earum formis et numero definitis unum genus intellexit verum quod sit invenit. Quid igitur magis perspicuum est quam ipsam unitatem esse qua et bonum et verum omne gignatur? Quare mens quae et in bono efficiendo et in vero cognoscendo versatur putetur necesse est semper unitatem aliis rebus afferre; quam si in sensuum perceptionibus ponit verum, si in materia bonum quod sit existit.

Accedit vero aliud quo arctior nexus inter bonitatem et veritatem statuitur. Et adhuc quidem de ea tantum veritate dixi quae cognitioni adhaeret nunc vero adjungendae sunt et ea veritas quae speciei externae opponitur et ea quae rei alicui attribuitur quod ideam aliquam effictam gerit. Iam ut a cognitionis veritate initium faciam, nisi quis cognitum habuerit quid bonum sit is nunquam ipse bonus fiet. Deinde ne voluptas quidem bona erit nisi veritatis particeps voluptatis ideam quam verissime expresserit. Denique summum bonum non vere bonum esset si non revera sed specie tantum talem naturam haberet. Apparet igitur in his omnibus veritatem plurimum conferre ut aliquid bonum fiat ipsam vero bonitatem ex aliis rebus pendere. Itaque causa bonitatis veritas aliquo modo dici potest ea autem condicione ut causa sit sine qua fieri non potest ut quicquam boni existat.

In fine autem disputationis ne praetermittam miram quae inter libros quos de legibus Plato scripsit et hunc sermonem intercedit similitudinem. Nam quod lectores qui Platonis philosophiam ex aliis ejus sermonibus didicerunt haud dubie mirati sunt quod nimirum ideae non pro bonitatis causis sed tantummodo pro veritatis principiis habentur idem in legibus facilius agnoscitur. Etenim civitas et mundus universus bonitatem et perfectionem assequuntur ubi aequitas et justitia per omnia regnant: non igitur dubium est quin hinc putentur bona omnia manare. Contra uno et solo loco ubi earum mentio fit ideae celebrantur non tamquam pulcherrima exemplaria ad quorum similitudinem quaecunque in hoc mundo pulchra et egregia extant confecta sunt sed tamquam certissima et verissima omnis cognitionis principia cfr. XII p. 965 C: *ΑΘ. Ἆρ᾽ οὖν ἀκριβεστέρα σκέψις θέα τ᾽ ἂν περὶ ὁτονοῦν ὁτῳοῦν γίγνοιτο ἢ τὸ πρὸς μίαν ἰδέαν ἐκ τῶν πολλῶν καὶ ἀνομοίων δύνατον εἶναι βλέπειν; ΚΛ. ἴσως. ΑΘ. οὐκ ἴσως, ἀλλ᾽ ὄντως, ὦ δαιμόνιε, ταύτης οὐκ ἔστι σαφεστέρα μέθοδος ἀνθρώπων οὐδενί.*

Sed nolo quaestionem quae longioris videtur disputationis esse hic paucis discindere potius quam dissoluere praesertim cum satis sit significasse nullam esse causam qua commoveamur ut ideas in bonis illis aliquo loco enumeratas esse putemus. Nihil igitur obstat quin simplici ratione primum bonorum genus de eis quae moderata sunt et in unum conspirant, secundum de eis quae secum ipsa congruunt et perfecta sunt intellegamus. Velim equidem me in hujus difficillimi loci explicatione felici opera versatum esse cum ipsius Philebi vestigia premere mallem quam aliunde interpretationis instrumenta petere; neque nisi mihi de hujus conjecturae veritate tantopere persuasum fuisset periclitatus essem ne novam conjecturam non magis probabilem ceterorum turbae admiscerem.

VITA.

Natus sum Rudolfus Hirzel Lipsiae a. d. XIII Cal. April. anni 1846 Salomone et Anna parentibus. Fidem professus sum evangelicam. Literarum rudimentis gymnasii Thomani praeceptores me imbuerunt; in quo gymnasio quod per sex menses Ecksteinio rectore et praeceptore usus sum semper grato animo memor ero. Qui cum me dignum censuisset qui ad universitatem transirem, ineunte anno 1864 Heidelbergam me contuli, ut Ruperto-Carolinae civibus adscriberer. Per annum ibi Koechlyum Zellerum Haeusserum Holtzmannum ita audivi ut regionis summae amoenitati simul vacarem. Tum Gottingam profectus cum prae ceteris Sauppii disciplinae me traderem, Curtium Waitzium Lotzium Müllerum, Leutschium denique per biennium audivi; per annum fui sodalis seminarii quod illic floret philologici. Hinc ut studia mea absolverem Berolinum petii eam urbem quae nunc ut futura Germanorum imperii sedes nemini praetereunda est. Ubi cum Hauptii potissimum scholas frequentarem, simul Kirchhoffio Mommsenio Trendelenburgio operam dedi. Spero igitur fore aliquando ut et his et ceteris quorum disciplina instructus sum gratias quas debeo referre possim.

THESES.

1. Phileb. p. 14 D verba τοὺς ἐμέ delenda sunt.
2. Phileb. p. 58 A verba καὶ τὸ male dirimunt vv. τὸ ὂν et ὄντως quae arte inter se conjungenda sunt.
3. Plat. Theaet. p. 159 E in illis περὶ μὲν τὴν γλῶτταν αἴσθησιν πικρότητος vocabulo πικρότητος sententia perturbatur.
4. Plat. Theaet. p. 189 E sermonis partes ita disponendae sunt, ut vv. ἤτοι ἅμαγε ἢ ἐν μέρει Theaeteto, v. κάλλιστα Socrati tribuatur.
5. Eurip. Or. vs. 34 sic scribendus est: ἐντεῦθεν ἀγρίῳ συντακεὶς νοσήματι.
6. Eurip. Suppl. vs. 1094 sic scribendus est: εἰ δ᾽ εὖ τόδ᾽ ἔγνων κἀξεπειράθην ἐγώ.
7. Cic. Acad. pr. § 51 in Ennii versu pro med ego, quod novissimi editores exhibuerunt, legendum est memet.
8. Qui ab Aristotele vocantur libri exoterici intellegendi ipsius dialogi sunt.
9. Falsus est Niebuhrius quod Platonem malum civem fuisse judicat.
10. Quae in veterum poetarum carminibus edendis usu didicerunt, in Goethii et Schilleri operibus philologi nunc expromant.